4592

200

MART. CHRISTOPH. LAURENTII,
JLL. GYMN. GOTH. CON-RECT. SUBST.

MONUMENTA ROMANORUM IN THURINGIA,

EX QUIBUS SUNT PRÆCIPUA

Berleig/ Kranberg

ET

Römſtädt/

HIS ACCEDUNT

MONUMENTA FICTA FRANCORUM IN THURINGIA

ET IN SPECIE

RUNIBERGA, UNSTRUTA ET SCHIDINGA.

TANDEM

ARMINII DUCIS GERMANORUM VITA

TUM PROSA TUM LIGATA ORATIONE RECENSETUR

GOTHÆ,

SUMPTIBUS JACOBI MEVII, ANNO. MDCCIV.

L89

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

DVCI SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ AC MONTIVM, NEC NON ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPI COMITI HENNEBERGIÆ, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DOMINO RAVENSTEINII ET TONNÆ

PRINCIPI

PIO, FELICI, MAGNANIMO
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME!

PRincipum magnorum, ſi vel maxima humanitate, & mira Clementia ſunt præditi, ea eſt conditio, ut cuivis ad ſe aditum aperire nequeant. Deus non ſine cauſa in tam eminens, tamque editum eos conſtituit faſtigium: Sed vult, ut à ſubjectis ſubmiſsè potiùs ſuſpiciantur, & colantur; quam in tempeſtivis ſermonibus, aut vanis querelis obruantur. Solem imitantur, qui, in altiſſimo loco poſitus, adiri non poteſt: At nihilominus, radiis ſuis, quos per terrarum orbem ſpargit, infimas & depreſſas valles fovet, & recreat. Cum igitur & TUA CELSITAS beneficia. ſanè quam plurima, in meam parvitatem contulerit: Et ego è longinqvo eam adhuc adoraverim, tantæ dignitatis reverens, jam demum animum inceſ-

ſit

ſit cupido,propius ad eam accedendi. Nuper enim, urbe non ignobili meam expetente operam, cum mandatis me potuiſſes, beneficiis magis auctum, retinere voluiſti, ſingularique exemplo docuiſti,tenuioris ſortis, homines non eſſe faſtidio. Hoc tacitâ cum volverem mecum admiratione, Cheruſcorum Dux Arminius, qui olim hanc regionem eſt moderatus,& a quo in Te cum ditione,virtutis deſcendit hæreditas,occurrebat,monebatque, ut monumenta victoriæ,ſitu abſterſo,Suo vendicarem, & Tuo dedicarem nomini. Quoniam igitur,neque hujus gloriæ,neque patriæ laudi,de eſſe debeo, rem difficilem quidem ſum aggreſſus, eamque ita ex ornavi, ut non dubitem,monumenta Arminii poſteris,quam majoribus fore, notiora. Accipe PRINCEPS SERENISSIME! Arminium & quæ offert monumenta: Tibi enim debetur, quod tuæ ditionis eſt; Et patriæ decora Tibi & majoribus ſacrata, ab invidis protege.

Devotiſſimus & humilimus
Servus.
Autor.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM

MOrtales ingens, inclareſcendi, invaſit cupiditas prorſus ut, cum vix prima literarum ceperint rudimenta, aliis ſe prudentiores putent, & dignos, qui ubique laudentur & celebrentur: Hoc vero cum ſine ſcripto, ſe conſequi poſſe, deſperent, argumentum quærunt, in iis rebus, quibus præ ceteris excellere ſe credunt. Si uno & altero anno Philoſophiæ dederunt operam, de Ente aut Natura diſputant: Si annales quosdam legerunt, hiſtoriam ſcribere geſtiunt: Et quod pudendum, ſi paginas quasdam compoſuere, in quibus Priſcianus nihil reprehendere poteſt, eò veniunt dementiæ, ut eas, Cicerone poſthabito, legi & æſtimari cupiant. Hinc tot libelli per orbem volitant, quot folia Boreas, autumno adulto, vix arboribus decutit. Nec eſt, quod dicant, ſe id agere, ut juventutis ſtudia adjuvent. Nam jam olim Terentius, nihil, ait, dici, quod non dictum ſit prius. Fruſtra igitur cacoëthen ſcribendi excuſant. Hæc meo cum animo ponderans, piu multumque dubitavi, an in lucem quid litterarum emitterem: Et cum omni oſtentationi ſim inimicus, vix a me Arminius impetrare potuit, ut ipſius Monumenta, quæ nemini nota, multo minus indicata fuerant, literis exponerem. Et nunc non vanam gloriolam, ſed veritatem ſequor, quæ, neſcio quo fato, fuit obſ-

obſcurata. Si vero quidam ſunt,qui meliora habent, aut quos Apollo certiora docuit,velim, ut modeſtè, & ſine acerbitate mentis communicent. Non ſum adeo amans rerum mearum, quin ſemper ad meliora audienda ſim paratus. Sin autem id,quod multis, mihi uſu veniat,ut quidam, qui docti videri volunt, ſiniſtrè de hoc labore ſentiant,velim ſcias, Cynicos eos eſſe,quibus, præter impudentiam & ignorantiam,nihil arridet. Neque ego illud moleſtè admodum feram. Perſuaſum enim habeo, Arminium ſatis inſtructum eſſe ad monumenta ſua contra quosvis malevolos defendenda. Ad nova eſt opinio: quid tum: anne veteri errori mavis patrocinari, quam novæ veritati? fac etiam cœcutienti obſcuriora videri hæc monumenta; Num erit operæ pretium clariorem lucem accendere,ut magis illuſtrentur? Non tamen Arminii laudi, & patriæ monumentis deero, ſi forſan a me exigatur. Quod ad alteram diſſertationis partem attinet, in qua de veteribus Thuringis egi,te celare non poſſum, eam ab hiſtoricis, qui ante hac eorum ſedes & origines inveſtigare ſunt conati,multum diſſentire. Cum enim oſtendiſſem,in Cheruſcis prælium eſſe commiſſum, illorumqueRegionem hodiè Thuringiam appellari,cupido animum meum ſubibat,accuratius ſcrutandi, quo tempore Thuringi, & unde in hac loca habitatum conceſſiſſent. Verum enim vero autores, quoscunque evolvebam,aut ſibi contradicebant, aut incerta tradebant. Itaque ſatius arbitrabar, eorum libris ſepoſitis, ex antiquiſſimus & probatiſſimis hiſtoricis, huc pertinentia colligere. Cum autem animadverterem, materiam ampliorem eſſe, quam ut paucis paginis abſolvi poſſit: Et ego potiſſimum id agerem, ut Monumenta Romanorum, quæ ſunt in Thuringia, clarius exſplendescerent, præcipua duntaxat argũ enta poſui, reliqua peculiari tractatui reſervaturus. Ceterum non dubito, quin labor meus, Lectori, hiſtoriæ patriæ amanti, gratus ſit futurus; Quoniam multa & varia, quæ antea dicta non ſunt, in eo inveniet. Scribebam Gothæ IV. Non. Aug. CIϽ IϽCCIV.

ER-

ERRATA

pag. 1. lin. lege quid p. 4. l.4. cacodæmoni p. 6. l. ult. Auguſtam. p. 8. l. 17. oſtendit. item l. 23. eripere. p. 13. l. 1. Tacitus. p. 14. l.23. aut arce validis. p. 17. l. 9. circumferuntur. p.17. l. 12. ſequaris. p. 52. l. deſcenderet. p. 63. l. 1. quæ. p. 63. l. 6. accedebat. p. 72. l. 11. dele, que. p. 75. l. 19. pro in mediam, lege immeritam. Hæc errata typographica benevole lector corrigas, peto, & ſi quæ alia, occurrunt, feſtinationi tribuas.




Tabula Geographica
Veteris Germaniæ
exhibens Populos
qui Seculo V et VI
eam incoluerunt
Pertinet ad part.
II.
FRISIA
ANGRIA
HENETI
TUN GRI A
SAXONES
THORINGI
SORABI
ELYSII
FRANCIA
ALLEMANNIA seu SUEVIA
BOII
TULINGI seu TORINGI
HUN
LONGOBARDI
BURGUNDIONES
Wartа Fl.
Elba Fl.
Sala Fl.
Rhenus
Danubius Fl.
Inn
Iser
Oder Fl.
Vistula Fl.
Turegum
Vogesus
Lac de Geneve
Rhodanus Fl.
Athesis Fl.
Saug Fl.
Drava Fl.
Schaldis Fl.
Mosella Fl.
Lippe Fl.
Tolbiacum
Siegburg
Teutoburgiensis silva




PARS TERRÆ CHERUSCÆ
in qua tres Legiones Romanorum cum Duce Varo perierunt.
Seltenlein fl.
Langensaltza
vargila
Tonna.
Töllſtet.
Burg Tonna.
Wangenheimer See.
Goldbach.
Römſtet
Gotha
Sieberg.
Perlach
frödſtet.
Mechterſtadt
Teutleben
Friglebenberg
Leina
Hörſelgau.
Hörſel fl.
Ülleben.
Sundhauſen
Bockeberg.
Gleichen
Mühlberg
Wachſen-burg.
Sülhen-brück.
Arnſtadt.
Erffurt.
Oriens.
Schönau.
Reinhards-brun
Fridrich-roda.
Georgen-thal.
Ordruff
Ora fl.
Gera fl.
Gera fl.
Wippera fl.
Nessa fl.
Milliaria Germanica Communia.





Cepheus
Camelopar dalis.
Caſsiopea.
Libertas Germaniæ
alias Andromeda
Arminius
alias
Perſeus
Auriga.
Meduſa
Taurus
Aries
Piſces
Orion
Zodiacus
Draco
æquator






PRETIUMQUE ET CAUSA LABORIS.

Introitus.

Monumentorum exponitur dignitas, & utilitas: Deindè Germanorum infelicitas deploratur, quod præcipua fortitudinis documenta ſint obſcurata.

RErum, à veteribus geſtarum, monumenta non ſancta ſolum & illæſa eſſe conſervanda, ſed & peritura, aut jam obliterata pro viribus vel reſtituenda, vel ex tenebris in lucem protrahenda, nemo, qui dignitatem antiquitatis æſtimare didicit, in dubium vocabit. Nam ut de emolumento nihil dicam, id non poſteritas ſolùm, ſed etiam pietas, quam majoribus debemus, exigere videtur. Hoc ante nos avis & atavorum parentibus curæ fuit, inque hoc maxime elaborarunt, ut monumenta litterarum, quæ ipſorum beneficio habemus, incorrupta poſteris traderentur. Nec defuerunt, qui Saxa accuratè depinxerunt, quæ aut in memoriam victoriæ, ab hoſtibus reportatæ, erant poſita, aut ſepulcrum, virtute inſignis, viri tegebant: caventes, ne cum ſeculis & hominum ætatibus, tam præclara monumenta, & æternitate digna, inveteraſcerent, aut planè delerentur. Idque eo ſtudioſiùs præſtiterunt, quo erant certiores, Deo laborem iſtum non improbari. Quem enim fugit, quod Iſraëlitis, ſiccô pede Jordanem transeuntibus, per Joſuam præceperit? Nonne duodecim ſaxis, quæ erigi juſſerat, miraculi hujus memoriam condere voluit? ſi igitur Deus autor eſt, monumentorumque conditor, cur ſeneſcere & interire patiamur? omnes gentes, etſi litterarum fuerunt expertes, non tamen eo imprudentiæ pervenerunt, ut patrum aut majorum res magnificas parvi penderent aut negligerent. Hinc etiam Teutones & ceteræ nationes, quæ, in ſeptentriones excurrentes, terras incoluerunt, antiquitatis adeò incurioſi non fuerunt, quin paſſim monumentorum quaſi rudera adhuc inveniantur;

quamvis potiſſimum carminibus inconditis, quæ quotidie repetebant, majorum facta ad poſteros propagare ſtuduiſſe dicantur. At verò quam inepta ſint monumenta, memoriæ ſervandæ, niſi ſive calamo ſcriptæ, ſive lapidi inciſæ, accedant litteræ, ſatis ſuperque illorum exemplum nos edocere poteſt. Quis noſtrûm, hac ætate degentium, haberet cognitum, qui olim populi Germaniam poſſederint? quibus corporis viribus? quantâque fortitudine excelluerint? niſi Romani arma contra tuliſſent. Cum enim hi virtutis oſtendendæ ergo, devictô oriente, Germanos quoque invaderent, adeò omnis res præter optatum cecidit, ut nil niſi vulnera & clades retulerint. Hæc fata populi, qui terror antea gentium fuerat, cum per univerſum orbem fama divulgaret, Romani hiſtorici tacere, nec debebant, nec poterant. Quo factum eſt, ut quo gravius ſuæ gentis ignominiam deplorarent, eò magis virtutis Germanicæ gloria augeretur. Non tamen omninò deſunt, in media Teutonia rerum, præclarè geſtarum, indicia, ſi modo quis paullò intentius indagare velit. Habemus urbes montes, pagos, ſilvas, nemora, quæ ſi loqui poſſent, jamdudum incolas & accolas torporis inſimulaſſent. Nam provida antiquitas, cum intelligeret, voces perire, nec ſaxa ætatem ferre, rerum memoriam in locis quæ non niſi cum orbe peritura ſunt, ſervari voluit. Verum neſcio quid potisſimum incuſem? haud gravatè indigenas abſolvo, quod magis temporum injuria, & gentium migrationes, quam ſupina negligentia factorum extinxere memoriam. Nullum mihi eſt dubium, lector benevole ſi hæc accuratâ æſtimatione penſitaveris, quin calculum meæ ſententiæ ſis adjecturus. Ne autem diutius tam inſignia monumenta, tamque apud veteres illuſtria, in obſcuro lateant, operæ precium me facturum exiſtimavi, ſi intentiore cura inveſtigata, ab oblivionis injuria vindicarem. Animus igitur eſt, Monumenta Romanorum in Thuringia ex ponere, & quidem præcipuè de Perleig, Kranberg & Römſtädt, non levibus argumentis oſtendam, ea eſſe Germanis trophæa, & Romanis cladium monumenta, maximè inſignia.

CAP.

Cap. I.

De Perleig.

Quid ſit & undè nomen habeat: & obiter de Germanorum vocabulo Leich/ Kegel-Leich *diſſeritur.*

QUamvis ſine ullo dubio, hæc vox originis ſit latinæ, atque idem ſignificet, ac perdita legio, attamen Germanorum pronunciatione ita corrupta eſt, ut, vel ad indagandum accutisſimus, ſuam, ſi rogetur, ignorantiam fateri neceſſe habeat, niſi temeritatis velit incuſari; Nec ego auſus fuiſſem, id aſſerere, niſi vetuſtisſimos autores haberem, quos tutò & ſine metu erroris ſequi licet. Otto Friſingenſis Epiſcopus, qui Friderici I. vixit temporibus, *Auguſtenſes*, inquit, *tradunt cædem Romanorum ibi factam eſſe, oſtenduntque in argumentum, collem, ex oſſibus mortuorum, compactum, quem in vulgari Perleich eo, quod legio ibi perierit, usque hodiè vocant.* Et Abbas Ursbergenſis Conradus a Lichtenau, qui Friderico II. imperante floruit, in chronico *Svevi*, inquit, *legionem divinam, ut ne nuncius quidem cladis ſupereſſet, funditus delent, de hâc perdita legione ad huc Perleich, quaſi perdita legio nominatur, ubi poſt modum hi verſus ſunt inventi*

Indicat hic collis Romanam nomine cladem
Martia, quo legio tota ſimul periit.

hos ſecutus eſt Jacobus Wymphelingius Seleſtadienſis, dum in epitoma rerum Germanicarum his verbis utitur: *Inſignem Germanorum victoriam apud Auguſtam Vindelicorum contigiſſe, opinatum eſt, eumque locum Perleig appellatum eo quod illic perierint legiones.* Plura poſſem apponere teſtimonia, niſi perſvaſum haberem, hæc tantæ eſſe autoritatis, ut dubitationem omnem tollant, Perleich à perdita legione nomen accepiſſe.

Ut autem præter teſtimonia allegata aliquid adjiciam, ſcias velim legionem apud Romanos manum fuiſſe, quæ ſexcentos ſexaginta ſex milites ſupra ſex millia complexa eſt, ſecundum Vegetium. At verò Reinerus Neuhuſius JC. in examine philologico, *legio*, inquit, *à delectu militum dicta eo, quod legionis milites viritim legi, hoc eſt eligi ſoleant, dividiturq; in X. cohortes: cohors in L. manipulos: Manipulus XXV. milites.* Hoc nomen

A 2 quem-

quemadmodum Latinis multitudinem ſignificavit, ita etiam exteri, quibuscum Romani vixerunt, & verſati ſunt, eodem uſi ſunt ſenſu. Nam cùm Dominus Chriſtus ex impuro nationis Gadarenicæ homine quæreret, quod nomen vel ipſi, vel Cacodemoni, eum poſſidenti eſſet, reſpondebat: legio: Indicaturus non unum, ſed ingentem multitudinem peſſimorum ſpirituum corpus & animam ſuam tenere. Quin etiam Chriſtus ipſe dicit, ſi vellet patrem invocare, ſe contra hoſtes angelorum exercitum XII. legionum in ſubſidium accepturum. Ita Germani etiam eâ voce pro multitudine ſunt uſi: Nam piſcium partum, qui ingentem copiam ovorum in alvo concluſam habent, & diverſis temporibus edunt, Leichen: & cyprinos ſeu carpiones fæminas Leich-Karpfen appellitant, quod præ ceteris ovorum multitudine abundant. vid. Geſnerum de aquatilibus l. 3. p. 369.

Eſt inſuper alius adhuc ſignificatus quo Germani hanc vocem uſurparunt. Cum enim Romanos aliquoties acie ſuperaſſent, & totas legiones trucidaſſent metu ſoluti vitulari incipiebant, & cum antea variis ludis ſæpe totos dies hilares & noctes quoque in ſomnes egiſſent, uti ex Taciti Germania patet, novum genus ludi excogitabant, quo conos globis proſternebant, locumque ubi coni ponebantur, das Leich ſive Kegel-Leich vocitabant. Nec aliud quicquam indicatum volebant, quam legionum Romanarum interitum, qui non aliter quam coni ſint proſtrati: imò universè corpus fato defuncti eine Leiche dicebant. Hæc ſine autoritate autorum aſſevero, non tamen ulli obtrudo meam ſententiam, ſed etiam atque etiam rogo, ſi allatis meliora quis habet, ut in medium proferat. Hoc autem exploratum habeo, neque recentem neque à Romanis aut Græcis hunc ludum fuiſſe inventum.

Ut ad Perlach redeam, paucis illud deſcribendum duxi, ne peregrinis ignoretur. Eſt nemus Thuringiæ amænisſimum, quod æquali intervallo à Gotha, ſede Ducis Saxoniæ, ſplendidisque ædificiis conſpicua; & municipio Waltershuſano abeſt: atque utrinque horæ integræ ſpatio adiri poteſt. Virgultis pariter ac proceris arboribus eſt fœcundum, tantaque ejus amænitas, ut plebeculæ diebus feriatis ſollemne ſit, gregatim in illud exire,

CAP.

CAP. II.

An clades in Germania Romani paſſi ſint, & in primis ubi Lollius, & à quibus ſit fugatus.

OMninò duæ ſunt Clades, quas Romani in Germani paſſi ſunt. Una Lolliana, altera Variana. De quibus Svetonius ita: *graves ignominias cladesque duas Auguſtus omninò accepit Lollianam & Varianam, ſed Lollianam majoris infamiæ, quam detrimenti: Varianam pænè exitialem, tribus legionibus cum duce legatisque & auxiliis omnibus cæſis.* Conſtat utramque non uno eodemque loco fuiſſe datas, vel acceptas, meum ergò erit diſquirere, ubi harum quæque locorum ſit illata

De Lolliana variæ ſunt autorum ſententiæ. Euſebius ad quartum Olympiadis CXC. *Germanos*, inquit, *in arma verſos, M. Lollius ſuperat.* Verum Bœclerus in notis ad Vellejum Svetonium cum Euſebii loco conciliat, *& non pugnat*, inquit, *cum ceteris Euſebius: acceperat quidem cladem aliquam, ſed victus planè non erat, quin potius cum hoſtes apparatum ejus audirent, in ſuam terram regreſſi, obſidibus datis, pacem acceperunt, teſte Dione.* Sed Scaliger clarè aſſerit, peccatum eô locô ab Euſebio, non tantùm ratione temporis, ſed & hiſtoriæ: ſuperatum ſcilicet à Germanis Lollium non ſuperaſſe: idque non anno quarto, ſed ſequenti, Domitio Ahenobarbo & Cornelio Scipione Coſſ. Locum hujus cladis nolo pluribus inveſtigare, quia non eſt inſtituti mei, ſed tantùm exponam quid autores ſuper hâc re ſentiant, Aventinus in Annalibus l. 2. p. 92. *inter hæc*, inquit, *Sicambri ubi nunc Beſtofali habitant duce Milone correptis armis ſubitò & de improviſo Romanos vi adoriuntur M. Lollium cum copiis profligant aquilæ quintæ legionis potiuntur, & in ignominiam populi Romani XX. Centuriones crucibus affigunt.* Hoc procul dubio alias optimus ſcriptor ex Hunibaldi ficta Francorum regum genealogia hauſit, qui fraude vetuſtioris ævi, quam plurimis impoſuit, iisque præſtantiſſimis, ut Trithemio, Funccio, Lazio & aliis. Sed fraudem ejus detexit Scaliger: Et Johannes Iſacius Pontanus in libro originum Francicarum ejus autoritatem planè deſtruxit: ille dicto loco his verbis figmentum componit. *Francus à quo Sicambri Franci ſunt appellati, cum Saxonibus & Doringis fœdus init, quo, licet ſub diverſis principibus, tanquam unus populus cenſerentur. Hac fœderatione adeò territi fuerunt Romani, ut aliquot legiones contra Saxones in Germaniam miſerint duce Lollio. Ingreſſi*

greſſi ergo Romani Saxoniam, primò quidem victoriâ potiti, ſed Clodione Franci filio, Saxonibus in auxilium miſſo, fuſi viciſſim fugatique ſunt. Quisque qui paullulum in hiſtoria eſt verſatus, videt tot mendacia in his verbis ineſſe, quot ferè ſunt verba. Sed audiamus ſupra laudatum Pontanum: *Hoc ridiculum eſt, tum ratione hiſtoriæ priſcæ, quæ multis poſt ſeculis Saxones demum agnoſcit & nominat; tum ratione chorographiæ. Nam ſi demus tunc extitiſſe Saxones in Germania, quomodo eos Lollius potuit impetere, cum ultra Albim Boream verſus adhuc ævo Ptolomæi fuerint, qui ſub M. Antonino claruit &c.* idem etiam de Thuringis reſponderi poteſt de quibus infra plura.

Verior autem ſententia eſt cladem trans Rhenum à Germanis quidem, ſed non in Germania Romanis fuiſſe illatam, Nam ita Dio Caſſius: *Sicambri Uſipetæ & Tencteri primum quosdam in ſuo territorio deprehenſos, in crucem egerant: deindè Rhenô transmiſsô ex Gallia prædas rapuerunt, equitatum contra ſe miſſum, per inſidias circumvenerunt, & Lollium quoque vicerant, fugientes perſequendo. Quibus cognitis Auguſtus adverſus eos expeditionem cum ſuſcepiſſet, bellum nullum fuit gerendum. Barbari enim cum Lollium arma parare & Auguſtum exercitum adducere audirent, in terram ſuam regreſſi, obſidibus datis, pacem acceperunt.* Poſtquam igitur demonſtravi Lollianam cladem extra Germaniæ fines accidiſſe reſtat Varum calamitate ſua noſtrum Perlach nobilitaſſe, quod ſequenti capite demonſtratum ibo. Nam licet quis alias inſuper pugnas Romanorum minus proſperas, ut Druſi & Germanici de quibus Tacitus legi poteſt contigiſſe objicere velit, ſciendum, ea damna inter clades non fuiſſe relata, quod neque aquila, neque integra legio in iis ſunt amiſſæ. Noſtrum Perlach autem indicat legionem ibi periiſſe.

CAP. III.

Variæ autorum ſententiæ de loco Varianæ cladis.

ANtequam Taciti VI. annalium libri, qui de Tiberii vita agunt, Corbejæ, quod eſt cœnobium in Germania, invenirentur, communis hiſtoricorum fuit opinio, Varianam cladem haud procul Auguſta Vindelicorum factam fuiſſe, uti ſupra ex Ottone Friſingenſi, Urſpergenſi, & Wimphelingio oſtendi, quorum verba hic nolo repetere. Nauclerus dum hiſtoriam exponit receptam opinionem ſecutus dicit: *hæc acta ſunt in Svevia apud Auguſtum ſecundum antiquos, ſed Strabonis*

bonis autoritas ei potior videtur qui libr. 7. hæc in terra Cheruſcorum geſta dicit. Munſterus ætate poſterior in Germaniæ deſcriptione, *Auguſtus,* inquit, *duas graves clades in Germania accepit. Harum gravior fuit quando apud Vindelicos, ut quidam putant, tres legiones amiſit, una cum Varo exercitus duce;* At vero Althamerus in Scholiis ad Taciti Germaniam, *hanc cladem,* inquit, *apud Cheruſcos editam aſſerit Strabo lib. 7. & Cornelius Tacitus lib. 1. hiſtoriæ Auguſtæ. Teutoburgenſem ſaltum vocat, in quo Varus cum legionibus à Germanis fuit interfectus.* Alii tamen ex recentioribus apud Vindelicorum Auguſtam, ubi adhuc veſtigia apparent, commiſſam cædem in campo Lyci (im Lechfeld) affirmant, cujus ſententiæ ſunt Otto Friſingenſis libr. 3. c. 9. Chronica Urſpergenſ., Johannes Nauclerus, Conradus Peutinger, Heinricus Bebelius, Picus in ſtauroſtycho, & Huttenus in Panegyrico. Ajunt inde turrim in publico foro Urbis Auguſtæ à perdita legione vocitatam, Perlach-Thurn / de qua ſunt verſus divulgati ſequentes.

Cur me Perlegiam dicant, ſi forte requiris,
Jam tibi reſponſum perbreve, ſiſte, dabo.
Non unum verbum eſt, duo ſed mea nomina ſunto:
Quod periit legio hîc, Perlegiam vocitant.

Unicum eorum erat argumentum, quo nitebantur, locus qui Perlach appellatur. Verum ſicut hoc argumentum non eſt rejiciendum, ſi alia, quæ pondus habent, accedant, ita ſolum nihil probat. Jam verò non tantum omni autoritate deſtituuntur, ſed & inſuper Tacitus l. I. ann. cap. LX. ductum deinde agmen à Germanico ad ultimos Bructeorum, quantumque Amiſiam & Luppiam inter vaſtatum: haut procul Teutoburgienſi ſaltu in quo relliquiæ Vari legionumque inſepultæ dicebantur. His verbis permotus Cuſpinianus, primus omnium figmentum hoc refutavit: dum *vehementiſſimè,* inquit, *miror undè irrepſerit inanis fabula de clade Variana, quæ nomen Auguſtenſi turri, Perleich* dediſſe fertur, à perditis legionibus, quaſi hic conflictus ante Auguſtam inter Lycum & Vindam contigerit. Nec Cruſius in Annalib. Sveviæ auſus eſt, hoc decus patriæ ſuæ vindicare. Nam Spangenbergium ſequens dicit, locus ubi Varus cum legionibus periit, Windfeld vocatur, ob victoriam, & patet in longitudinem CCCC. in latitudine CC. paſſus, non longe abeſt à veteri arce Falckenberg & oppido Horn: Cum igitur ipſi Svevi hoc monumentum non ſibi vendicent, laterem cuidam lavare viderer, ſi diutius huic diſputationi immorarer. Ceterum ex Horatii

od.

od. IV. lib. 4. conſtat Romanos contra Vindelicos pugnaſſe, nam ita canit:

Videre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerendem, & Vindelici, quibus
Mos undè deductus per omne
Tempus Amazonia ſecuri
Dextras obarmet, quærere diſtuli.

Hinc Willichius in notis ad Taciti Germaniam aſſerit: octavam Romanos cladem accepiſſe à Svevis, cum per Druſum Rheni accolas opprimere tentantes, fuiſſent repulſi. At quamvis Tacitus tam gravis autor controverſiam diremiſſe crederetur, attamen non multô poſt tempore, tantæ coortæ ſunt diſſenſiones, ut appareret non tam litem eum compoſuiſſe, quam malum diſcordiæ miſiſſe. Præ ceteris autem Clivenſis, Montenſisque Ducatus & Weſtphalia hoc ſibi decus vindicant. Pro illa ita verba facit Aventinus, *clades in Ducatu Clivenſi facta eſt prope urbem Duisburg, quam Tacitus Teutoburgum appellat.* Et Vinandus Pighius in Hercule Prodicio aſtendit in Clivia montem, qui à Varo nomen habet, & Varisberg ſive Vorſtenberg appellatur. Pro Montenſi Ducatu Georgius Spalatinus ſentit in Hiſtoria Arminii, ubi *haud procul*, in quit, *Teutoburgenſi ſaltu, (is paucis milliaribus Düſſeldorpio oppido, duci Juliacenſi, in Marchia Bergenſi ſubdito, diſtat) relliquiæ Vari legionum inſepultæ dicebantur.* Pro Weſtphalia plerique recentiores pugnant, nec hactenus quisquam auſus eſt hoc monumentum ei cripere. Sic enim ſtatuunt Spangenbergius & Cruſius quos ſupra citavi: ſic Merianus in Topologia Weſtphaliæ: ſic autor monumentorum Paderbornenſium, & cum eo Cellarius, in Notitia antiqui orbis &c. Sed pace tot tantorumque virorum mihi diſſentire licebit, nam quamvis ipſis multa debet communis patria, non tamen negabunt, quædam ipſos fugere potuiſſe.

Quod igitur ad primam attinet ſententiam, Aventino quidem videtur Duisburgum idem eſſe ac Teutoburgum, ſed non omnibus eadem de Teutoburgo eſt ſententia. Nam Browerus in Annalibus Fuldenſibus Dietesburgum exponit. Chronicon Carionis illud putat dici ab ὀδυσσεύς. Cum igitur ne origo quidem vocis certa ſit, quomodo ſuper ea tota hiſtoria poteſt exſtrui. Deindè nondum eſt probatum ſaltum ab urbe quadam Teutoburgienſem fuiſſe appellatum, quo de

de infra plura diſſeram. Altera ſententia, quoniam ſine ullis argumentis aſſeritur, operoſa refutatione non indiget. Pergo igitur ad tertiam, quæ autoritate & verbis Taciti nititur, illa qvamvis ſupra jam poſui, hîc repetere non ſupervacaneum puto.

CAP. IV.

De Verbis Taciti & aliorum autorum, qui de hâc clade ſcripſerunt.

ANte omnia hiſtoriæ ſtudioſum ſcire oportet, Tacitum inſignem quidem & fide & doctrinâ autorem eſſe, quod ad Romanam hiſtoriam attinet: At verò in externis ſæpe numero turpiter hallucinari. Nam ut de mendaciis, quæ Judaicis rebus immiſcet, nihil dicam, omnes Germanicæ antiquitatis periti, unô ore confirmant, eum à vero aberraſſe, & deceptum â peregrinantibus, alios decepiſſe. Sic enim Chriſtianus Thomaſius de jure ſtatuum imperii dandæ Civ. *Tacitus*, inquit, *quæ ſcripſit bonâ fide videtur ſcripſiſſe: ſed interiora Germaniæ non cognovit ipſe, vel parum. Multa igitur ex auditu alieno habuit, ex relatione videlicet captivorum Germanorum, ſæpè ex finitimis ac exterioribus, & contagio Romanorum morum jam maculatis, judicavit de interioribus &c.* Nemo igitur mihi vertet vitio, ſi autoritatem ejus in dubium vocavero, nec ſine examine ei fidem habuero, locum integrum hûc apponam, ex libr. I. Cap. LX. *Ductum indè agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum: haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliqviæ Vari legionumque inſepultæ dicebantur, igitur Cupido Cæſarem invadit ſolvendi ſuprema militibus, ducique permoto ad miſerationem omni, qui aderat, exercitu ob propinquos, amicos, denique caſus bellorum & ſortem hominum. Præmiſſo Cæcinna, ut occulta ſaltuum ſcrutaretur, pontesque & aggeres humido paludum & fallacibus campis imponeret, incedunt mœſtos locos viſuque ac memoria deformes. Prima Vari caſtra, lato ambitu, & dimenſis principiis, trium legionum manus oſtentabant: dein ſemiruto vallo, humili foſſa, acciſæ jam reliquiæ conſediſſe intelligebantur. Medio campi albentia oſſa, ut fugerant, ut reſtiterant, disjecta vel aggerata, adjacebant fragmina telorum equorumque artus, ſimul truncis arborum anteſixa ora lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactaverant. Et cladis ejus ſuperſtites pugnam aut vincula elapſi, referebant, hic cecidiſſe legatos, illic raptas aquilas; Primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextra, & ſuo ictu mortem invenerit,*

quo tribunali concionatus Arminius: quot patibula captivis, quæ ſcrobes: utque ſignis & aquilis per ſuperbiam illuſerit. Quis non intelligit magis Rhetorem, quam hiſtoricum agere autorem. Nam dum per hypotypoſin, ſive vivis qvaſi coloribus cladem acceptam, ob occulos ponere nititur, rei ordinem, pro ut geſta eſt, & veritatem negligit, non eſt, quod in ejus verbis confutandis deſudem, poſſum hoc ſuperſedere labore, quod Strabo Geographus ſine controverſia optimus, & cujus ætas in ea incidit tempora, queis Romani in Germania occidione cæſi ſunt, non in Bructeris aut Sicambris, ſed in Cheruſcis id accidiſſe aſſeverat. ita enim libr. VII. ſuæ Geographiæ in Cheruſcis, inquit, tres legiones cum Duce Varo per inſidias ſunt obtruncatæ.

Dio Caſſius nequaquam Tacito ſecundus, & ſi verum fatear incomparabilis, non tantum quod ad locum attinet, Strabonis ſententiæ aſſentitur, ſed Germanorum conſilia, ſucceſſum pugnæ, & eventum copioſiſſimè exponit. Hinc non poſſum non totum apponere contextum, qui apertè pro mea ſententia propugnat. Verba ejus libr. LVI. ita Qvilielmus Xylander Auguſtanus tranſtulit: *Ubi Quintilius Varus Germaniæ, poſt adminiſtratam Syriam Præfectus, rebus ibi gubernandis ſuſceptis, inſtituit eam gentem ſubitò transformare, tanquam ſervituti ſubjectis imperare, pecuniasque à ſubditis exigere: Germani ejus inceptum non tulerunt, primoribus ipſorum amiſſum principatum deſiderantibus, vulgô conſvetam rerum rationem peregrinæ dominationi anteferente. Quia autem Romanos multos apud Rhenum, multos apud ſe verſari videntes, rebellionem palam tentare non audebant, Varum ita acceperunt, ut omnibus ejus juſſis obtemperaturi viderentur, proculque eum à Rheno, in Cheruſcorum fines, & ad flumen Viſurgin adduxerunt. Ibi ſumma in pace ac amicitia erga eum viventes, in hanc eum opinionem adduxére, quaſi poſſent absque militum opera in ſervitute contineri. Igitur Varus neque milites, quod in hoſtico fieri debet, uno loco continuit, multosque ſuorum petentibus infirmioribus Germaniæ populis ſub nomine, præſidio firmandorum oppidorum, aut latronum comprehendendorum, commeatuumve tutius ſubvehendorum, diſtribuebat. Erant inter eos, qui conſpiraverant, ducesque inſidiarum & belli, quod tum conflabatur præcipui, Arminius & Sigimerus, ſemper cum Varo, nihil mali expectante, ac non modo fidem omnem iis, qui rem ut erat ſuſpicantes, eum, ut caveret ſibi, monebant, abrogante, ſed objurgante etiam eos, quod fruſtra ſibi timerent, ac illos in invidiam vocarent, repentè ex compoſito quidam ex longinquis Germani inſurgunt: nimirùm ut contra eos proficiſcens Varus, in itinere opportunior cladi eſſet, cum ſe*

per

per amicorum regionem ire crederet, néve omnibus, ſimul bellum moventibus, ſibi caveret. Id conſilium eventu approbatum fuit. Nam & exercitum adducentem eum cohortati ſunt, & ipſi ut auxilia paraturi, ac celeriter ſubſidio venturi, domi remanſerunt: mox acceptis quæ in promptu certo quodam loco erant ſuis copiis, occiſis Romanis, quos ante ab eo impetratos quisq; ſecum habebat, militibus, in ſylvis eum jam inviis hærentem aſſecuti, repentè pro ſubditis hoſtes ſe eſſe oſtenderunt, ac mala Romano exercitui multa ac gravia ingeſſerunt. Erant montes, quà Varus tùm ducebat, convallibus crebris intercepti, ac inæquales: arbores autem denſæ, ac immodicæ proceritatis, quibus Romani etiam ante hoſtium adventum cædendis, viamque parando, & quæ opus habebant, pontibus jungẽdo defatigati fuerant. Currus autem & jumenta impedimentis agebant ſecum plurima. ut in pace: ſequebantur etiam pueri ac mulieres, calonesque magnô numerô, quo ipſo etiam iter magis incompoſitum facere opus habebant. Interim pluvia cum magno vento ſuperveniens, magis adhuc eos diſſiparat, ſolumque lubricum ad radices & truncos arborum redditum, greſſus quam maximè lapſui obnoxios effecerat, tum arborum ſumma confracta ac dejecta eos pertubârant. His difficultatibus Romanos tum conflictatos, Germani undiquaque ſimul per denſiſſimas ipſas Silvas, quippè callium periti, conſectati circumvenére, ac initio eminus tantum impetiére: poſt cum nemo ſe defenderet, multi vulnerarentur, comminus congreſſi ſunt. Nempe nullô ordine, promiſcuô itinere inter currus, & inermes proficiſcentes Romani, neque coire inter ſe facilè poterant, ac ſinguli à pluribus cum invaderentur multa incommoda, nullo hoſtibus reddito, patiebantur.

Locum modò ibi, ut in monte ſylvis obſito opportunum nacti, caſtra fuerant, majorique curuum, & quibus carere poſſent impedimentorum parte combuſtâ, aut relictâ, magis ordinatô itinere poſtridie progreſſi ſunt, in locum nemore vacuum: ne hoc quidem ſine ſuorum cæde. Hinc iterum in ſilvas inciderunt, & cum ab adortis ſe hoſtibus conarentur defendere, haud parum hoc ipſis ad cladem contulit. Loco enim anguſto orbem volventes, ut confertim equites ſimul peditesque in hoſtem in currerent, multa ſibi invicem ipſi damna dederunt, multa ab arboribus paſſi ſunt. Excepit hanc diem alia, effuſo imbre & vento vehementi importuna, ut neque procedere, neque conſiſtere firmiter poſſent: uſu quoque armorum ipſis ademto, ſagittis, pilis, ſcutisque madentibus, & eò nullius commodi uſus: ea hoſti, quod plerique levis erant armaturæ, ac aggredi regrediquè tutò poterant, minus eveniebant. Jam & numero aucti Germani erant, cum permulti antè ambigui vel prædæ nomine ſe eis adderent, quo facilius Romanos, qui multos prioribus cladibus ſuorum amiſerant, & circundabant, & trucidabant: Ideò Varus aliique primores, jam acceptis vulneribus, cum

metuerent, ne vel in hoſtium poteſtatem vivi venirent, vel ab infenſiſſimo hoſte interficerentur, ſibi ipſi manus attulerunt, rem duram quidem, neceſſariam tamen auſi. Horum auditâ morte, nemo jam etiam eorum quibus robur ſuppetebat, ſe defendit: Sed alii Ducis ſui exemplum imitati ſunt, alii armis abjectis cædi ſe præbuerunt. Itaque nullô metu viri omnes equique cædebantur: Omnesque Romani ea die occidione periiſſent, aut capti fuiſſent ni ſe Germani ad diripiendam prædam convertiſſent. Quo factum eſt, ut robuſtiſſimus quisque evaderet: ac tubicines, qui cum iis erant ſignum curſus incinentes, ſe ab Aſprena auxilio ſuis miſſos, opinionem hoſtibus injecerunt, quia videri (jam enim tenebræ ſe intenderant) non poterant. Ea res inhibuit ab inſequendo Germanos: & Aſprenas cognitâ re, verè auxilium ſuis tulit. Poſteà temporis nonnulli captorum redempti ſunt, conceſſo hoc ipſorum neceſſariis, eâ conditione, ut extra Italiam manerent. Auguſtus Varianâ clade auditâ, veſtem, ut quidam memorant, laceravit, inque magno luctu fuit propter amiſſum exercitum, metumque qui à Germanis & Gallis impendere videbatur, maximè quod eæ gentes jam ipſam Italiam ac Romam petituræ videbantur, ac neque urbana juventus magni momenti ſupererat, & ſociorum auxilia, quæ alicujus eſſent pretii, afflicta erant.

Ex his manifeſtum fit, primò legiones tres non unô locô, multò minus iisdem in caſtris extitiſſe, quod Tacitus affirmat, ſed variè tum ad opera facienda, tum latrones coërcendos fuiſſe diſperſas. Deindè ad Luppiam nihil damni Romanis fuiſſe illatum, nam patet ad Viſurgim Varum cum exercitu conſtitiſſe, & indè fraude hoſtium contra Germanos, qui ex longinquo inſurrexerant, eſſe profectum, tertiò per amicorum terram iter Varum ingreſſum eſſe, per quas omninò Cheruſci, & caput eorum Arminius, ſunt intelligendi. Vellejus Paterculus & Florus copiosè etiam de hâc Romanorum cæde ſcripſere. Verum quoniam nihil de loco & regione commemorant, de qua nunc potiſſimum diſputo, non duco neceſſarium, eorum inanes querelas recenſere. Patet igitur ſine dubio, Cheruſcos in quibus hæc geſta dicuntur non ultra Viſurgim verſùs occaſum habitaſſe, ſed cis dictum fluvium incoluiſſe verſus orientem, quod mihi fuit demonſtrandum. Et quamvis hæc poſſent ſapienti, cui parum ſatis eſt, ſufficere, quædam tamen teſtimonia recentiorum autorum adjiciam, ex quibus conſtat, ubi terrarum Cheruſci ſedem habuerint. Bilibaldus Birckheimerus in explicatione locorum per Germaniam, *Cheruſci*, inquit, *inter Albim fluvium habitabant & Viſurgim, dirimebanturque ab Angrivariis ut*

Taci-

Tacitus ſcribit, latô aggere, quem illi extulerant, quo â Cheruſcis dirimerentur, & cum Druſus Germanicus Cheruſcos aggreſſus fuiſſet, Arminius cum illis trans Viſurgim inſtructâ acie ſtetit: is enim Romanos & Cheruſcos interfluebat, unde planè conſtat, Cheruſcos eam inhabitaſſe terram, quæ hodiè Saxoniæ pars cum Duringia univerſa. Et Philip: p Melanchthon non multum Birckheimeri ſententia abit cum *Cheruſci*, inquit, *ſunt Hercyniæ populi cum bona parte Thuringorum adjacentium Semanæ Silvæ, quæ ut Ptolomæus ait Cheruſcos à Suevis disjungit.*

CAP. V.

De ſaltu Teutoburgienſi.

Oſtenditur iſtum eſſe Silvam, quæ hoidè Thuringica dicitur; deindè appellationis ratio redditur: tandem de origine pagorum, qui in leben deſinunt, agitur & in ſpecie de Teutleben.

NOn alienum fore arbitror, de ſaltu Teutoburgenſi, cujus præter Tacitum nemo ſcriptorum mentionem facit, accuratius diſſerere, ut de ſitu ejus, certiores reddamur; tum ut de cladis loco rectius inſtituamur. Nam quamvis Tacitus, ſæpè à nobis laudatus, prioribus verbis terræ Cheruſcorum, quæ nunc Thuringia appellatur, opimum decus eripere videatur, poſterioribus tamen, quando cladem haud procul ſaltu Teutoburgenſi factam dicit, ſpontè eidem concedit & largitur. Hoc ita jam demonſtrabo, ut luce meridianâ clarius evadat.

Ante omnia ad originem vocis reſpiciendum, & undè nomen ſilva habeat, eſt ponderandum, nam non una eſt autorum ſententia, omnes tantum in eo conſentiunt, ab urbe ejusdem nominis eam appellari. Tria oppida Teutoburgi nomine appellari docent Geographi, unum eſt Doesburgum quaſi Druſiburg ditionis Geldricæ ad foſſam Rheni Druſianam: Alterum eſt Duisburgum in Clivia, tertium eſt Dietmelle in Weſtphalia in Lemgovienſi agro, vide Philippi Ferrarii Lexicon Geographicum. Aventinus cujus verba jam ſupra poſui Duisburgum oppidum Cliviæ, pro Teutoburgo habet: at Cluverius & Cellarius, hunc ſecutus, Dietmelle oppidum Weſtphaliæ, hoc nomen olim geſſiſſe ſtatuunt. Verum hîc diſſentire mihi licebit, eò magis, quod nullum argumentum video, cui ſine metu erroris inniti queam. Primò nemo autor, cui ob antiquitatem fides habetur, dicit urbem Teutoburgum extitiſſe, multò minus probari poteſt, aut Doesburgum,

aut

aut Duisburgum, aut Dietmelle eô nomine olim veniſſe. Deindè planè inſolens eſt, ſilvam ab urbe appellari. Hoc me non fugit, nemora parva interdum urbis nomen, à qua haud procul abſunt, habere; ſed quis ſatis firmis argumentis probavit, hoc Teutoburgenſi ſilvæ uſu veniſſe, quæ à Weſtphalia continuô tractu in ditionem Odenburgenſem excurrere dicitur. Ita enim Ferdinandus Paderbornenſis & Monaſterienſis Epiſcopus Paderbornenſium monumentorum autor, citante Baudrandiô in Geographia, *ſaltus*, inquit *Tautoburgienſis à fontibus Luppiæ exſurgit in Paderbornenſi Diœceſi ac per Lippienſem, Ravenſpergenſem, Osnabrugenſem ditionem porrigitur.*

Sed jam mearum erit partium, aliorum ſententiâ rejectâ, dilucidè exponere, cur aut undè Silva id nominis habeat. Inter omnes conſtat, Germanos veteres, non urbium monumentis ſe defendiſſe, ſed ſilvarum latebris tutos & invictos fuiſſe, nec prius oppida vallo aut mœnibus cincta habuiſſe, quam Romani quædam ſuæ ſalutis refugia condere, inſtituerunt. Hoc ipſe nos Tacitus in libro de moribus Germanorum edocet, dum cap. XVI. *nullas*, inquit, *Germanorum populis urbes habitari ſatis notum eſt, ne pati quidem inter ſe junctas ſedes colunt diſcreti & diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit, vicos locant, non in noſtrum morem connexis, & cohærentibus ædificiis, ſuam quisque domum ſpacio circumdat, ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitiâ ædificandi, ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum uſus &c.* Cum igitur Teutonici munimenti aut burgi mentio fit, non de caſtro aliquo, aut urbe, aut validis mœnibus cincta, ſed ipſa de ſilva eſt intelligendum, quod enim caſtrum tam firmum? quæ urbs tam valida eſt? ut cum ſilva Teutoburgienſi, quæ, noſtro tempore Semana dicitur, comparari posſit. Veriſimilè igitur eſt, pasſim cum Romani caſtella exſtruerent, Germanos eis illudentes ſermone crebrô jactaſſe, ſilvam ſibi pro munimento eſſe. Et quis negaret, rem ita ſe habere, cum hodienum Germani, qui poſt hanc ſilvam incolunt, eam pro fortisſimo & validisſimo propugnaculo habeant.

At verò ne mihi objiciatur, quid de Semana ſilva, id eſt, Thüringer Wald / loqueris? quæ tamen nomine Teutoburgi non gaudet? Cur peregrinam rem diſputationi immiſces? ſatis ſuperque Geographi oſtendunt, quas regiones tangat, & quousque excurrat? Quid attinet, rem per ſe manifeſtam in dubium vocare? Unicum rogo, ne prius

prius opponas, quam cuncta perlegeris, nullus dubito, quin omnis ſcrupulus eximatur. Ita eſſe non nego, Geographos ſaltum hunc verſus ſeptemtriones longô montium tractu dicere excurrere: Verùm quibus rationibus id probatum dabunt? Si tantum ita opinantur, nemo mihi vitio vertet, ſi contra ſentiam, non levibus argumentis adductus. Itaque hæc mea eſt ſententia: Eam ſilvam pro Teutoburgienſi habeo, quæ ab aliis Semana, ab aliis Gabreta dicitur, & paullò plus ſpatii in longitudinem occupat, quam Thuringorum ſilva, ſtrictè & propriè ſic dicta. Hæc a Vierra flumine, quod fines Thuringiæ claudit, oritur, & longô tractu meridiem verſus ſe protendens, perpetuô jugô Thuringiam ab Haſſia dividit. Deindè ſenſim veluti circulo Thuringiam incluſura, in orientem ſe convertit, & Salâ flumine terminatur. Nam (1.) hoc nomen omninò ipſi, ut ſupra oſtendi, convenit (2.) quidam pagi, qui in eadem ſylva poſiti ſunt, idem confirmant. Quid Teuteleben & Tütleben, quorum unum verſus Iſenacum alterum Erffurthum verſus, ſitum eſt, aliud ſignificant, quam Teutonum Laube/Leube oder Hütten. Ita autor Vindiciarum Anhaltinarum de Aſchersleben diſſerit: *In Germania nihil eſt frequentius, quam urbem, alicujus diſtrictus principem, vel populi ipſius, vel præcipui ex populo nomine ſ. appellatione inſigniri: Videtur Aſcania ſeu Aſchersleben dicta quaſi Aſcaniorum, vel etiam cujusdam primatis Aſcanii vel Aſcarii curia ſeu domicilium. Quemadmodum enim alibi terminationes in* Heim/ Burg/ Dorff/ Hof/ Hauß/ Stadt/ *incolas vel incolarum hoſpitium ſignificant: Ita per terminationem* Lebe/ Leube/ Laube/ (*quæ ſcenam primis illis temporibus, cum ſilvæ adhuc habitarentur uſitatiſſimam poſtea cultiori ævô manente, veteri appellatione ſignificabant tabernaculum, ſedem, curiam) indicatur.*

Conſtat igitur dictos pagos ejusdem eſſe originis: Et quamvis a nonnullis diverſis ſcribantur litteris, nihil tamen aliud volunt, quam ne unus cum altero confundatur. Credo antem Teutonum antiquorum curias fuiſſe. Non me fugit, alios aliter ſentire, dum antiqvum vocabulum Laube/ vel ex Gothica, vel Sclavonica lingva derivare volunt, quos populos Thuringiam incoluiſſe dicunt. Verum quoniam hoc nondum ſatis firmis demonſtratum eſt argumentis, ita non poteſt dici, eos multorum pagorum in Thuringia autores & conditores fuiſſe. Gothos & Sclavos nunquam recepit Thuringia. Quid obſtat quo minus Cheruſcis, eorum originem tribuamus, de quibus exploratum

ratum habemus, quod hæc loca incoluerint, & reliquiæ antiquorum Teutonnm, qui Italiam occupatum, profecti ſunt, extiterint. Hoc indicat ſilva, hoc indicant pagi, qui adhuc à Teutonibus nomen acceptum, tenent. Nolo in obſcura materia diutius morari, ſed ad propoſitum pergam, clarioribus indiciis demonſtraturus, Teutoburgienſem ſilvam, non aliam eſſe, quam Thuringicam: Et famoſam cladem haud procul ea Romanis fuiſſe illatam.

CAP. VI.

De Kranberg.

Altero & præcipuo cladis monumento. Inveſtigatur primò ejus appellationis ratio: deindè refutantur præpoſterè Gallizantes & tantum non religioni ducentes in Gallicis verbis quid mutare, quæ tamen in Germanica lingva uſurpant.

WEſtphali, non argumentum levis momenti ſe habere putant, quod oſtendere poſſunr, campum Windfeld, qui multum in longitudinem & latitudinem patet: At verò abſonum eſt cum præter nomen, quod tamen rectius à vento (Wind) mihi derivari videtur, nihil afferre poſſint; Et fac à vincendo illum nomen habere, anne ſtatim exindè ſequitur, ergò Romani ibi victi, cæſi & fugati ſunt. Quænam habent documenta autorum? quibusque indiciis id probabunt? Ergò contra præter allatas rationes alterum jam monumentum ob oculos ponam, quo nihil eſt inſignius, nihil manifeſtius, nec illuſtrius. Ne verò ſomnium, pro monumento, propinare ſimplicibus videar, & quibus non vacat rem accuratius indagare, Taciti verba in medium proferam, qui libr. I. cap. LXI. *Romani*, inquit, *incedunt mæſtos locos, viſuque ac memoria deformes. Prima Vari caſtra, lato ambitu, & dimenſis principiis, trium legionum manus oſtentabant: Deindè ſemirutô vallô, humili foſsâ, acciſæ jam reliquiæ conſediſſe intelligebantur. Mediô campô albentia oſſa, ut fugerant, ut reſtiterant, disjecta vel aggerata, adjacebant fragmina telorum, equorumque artus,* ſimul truncis arborum antefixa ora lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactaverant. *Et cladis ejus ſuperſtites pugnam aut vincula elapſi, referebant, hic ceciddiſſe legatos, illic raptas aquilas &c.* Ex his verbis conſtat, Cheruſcos

occi-

occiſorum capita amputata, truncis affixiſſe luci, ut perpetuum ſint victoriæ ſignum. Sed ubi eſt ille lucus? ubi monumentum tam inſigne? ſi totam Cheruſcorum regionem, circumſpicio, non alium locum, cui decus hoc & trophæum vindicetur, quam montem, qui *Kranberg* vocatur, & haud procul Gothâ abeſt, invenio. Peto igitur benevole lector! ut mecum ad eam pergas. Paullò enim accuratius ejus appellationem inveſtigabo, ut intelligas oppinionem meam, à vero non abludere.

Variæ quidem derivationes circumferunt, dum alius montem dici putat, quaſi *Kronberg*, quod nemus inſtar coronæ vertici ejus inhæreat: alius quaſi *Grünberg*, quod vernô tempore quàm lætiſſimum vigeat atque vireat. Si vulgi pronunciationem ſequeris, & antiquitatem negligas, hoc forſan videri haud abſurdum poſſet. At verò ſi eos audiamus, qui elegantioris ſunt ſtudioſi ſermonis, non aliter montem appellitant, quam Kranberg, quorum pronunciationem tutius me ſecuturum confido, idque eò magis, quod antiquitas, & autorum fides mihi ſubvenire videtur. Sentio igitur, neſcio an primus, montem hunc dici quaſi *craniorum montem*, quod in eo crania, interfectorum Romanorum fuerunt affixa truncis arborum. Nam cum ea vox, quæ Græca erat, frequenter uſurparetur à Romanis, Germani qui apud iſtos ſtipendia meruerant, auditu perceptam, retinebant & quaſi civitate donabant. Hoc ex vocabulo, quod adhuc apud nos eſt in uſu, poteſt colligi. Si enim irati graviter quem ſe percuſſum ire, indicare volunt, dicunt, ſie wolten ihn über den Grind hauen/ i. e. cranium ſeſe petituros. Nec moveat quempiam, ſi apud ejus ætatis autores, qui latinam hiſtoriam compoſuerunt, aut præcepta morum, resque philoſophicas explanarunt, ea vox non inveniatur, alia verba ipſis ſuppetebant, quibus *κρανίον* reddebant, ut Græco carere in ſtylo poſſent. Verum quis negaret tritum ſermone tum nomen fuiſſe? Ea eſt enim ratio lingvarum, ut in ſermone quævis verba admittant, ſed ſcribentes autores non eadem utuntur libertate, tum quod ruſtica & obſcœna fugiunt, tum quod peregrina faſtidiunt. Cum igitur tota Italia ſemper, Græciæ, & in moribus, & in dicendo æmula fuerit, primò mores ejus imitata, & cum moribus ſimul mutuata eſt verborum proprietatem. Jam verò conſtat latinos oſſa capitis uno verbo commodè non poſſe exprimere, Tacitus dictô locô ora vocat capita, quæ carne

nondum ſunt nudata: audiamus de Græcorum veteri more Lipſium in ſaturnalibus Libr. I.C.XIX. in conviviis, inquit, ipſum cranium mortui in menſam inferre ſunt ſoliti. Hunc morem cum ſecuti ſint Latini, uti ex Petronio in Trimalcionis convivio patet, etiam inter eos cranii quoque nomen frequentari cœpit. Sed cur multus ſim neſcio, præſertim in materia, quæ ſole eſt clarior. nec à Germanis in dubium poteſt vocari, qui Gallos æmulari conſveverunt, non aliter quam Romani Græcos.

Quot res, quot mores, quot nomina ab illis mutuati ſumus? & adhuc mutuamur? nec tamen quisquam, qui patriæ linguæ non eſt negligens, audet Germanico ſtylo Gallicas immiſcere voces. Fac unum & alterum ita Gallicis rebus delectari, ut non dubitet, peregrina vocabula, tanquam floſculos ſcriptis ſuis adſpergere, non tamen candidis æſtimatoribus probabitur; multò minùs ille Barbaro-Germanicus ſermo. Scio equidem unam linguam alterâ eſſe copioſiorem, & multò planius rem exprimere: Verum cur non recipimus, cur non noſtra dialectô ſcribimus aut pronunciamus? quamdiu dialectô Gallicâ vocem proferimus: quam diu eam litteris ſcribimus, quæ nunquam efferuntur, non pro Germanica eſt habenda, multò minus libellis inſerenda, utut doctorum pariter aut vulgi ore celebretur. Sed proh pudor! ſi ſincerus & cordatus vir, Gallicam vocem, (quamvis dedita opera) more Germanorum ſcriberet, quas non turbas, quos non clamores Galliciſſantes (venia ſit verbo) excitarent. Laudo veteres Germanos, qui quò ſimpliciores erant, eò minus Latinorum Grammatiſtarum præcepta audiebant. Et ſic non tantùm linguam, ſed & libertatem incorruptam ſervabant. Interim tamen non tam ſuperſtitioſi erant, quin ex Romana copia ſuum defectum ſarcirent. Ingentem Catalogum verborum, quæ origine latina ſunt, & Germanum habitum induerunt, huc ponere poſſem, ſed pauca ex multis ſufficiant. e. g.

Scribo Schreiben/
Caput Haupt/
Porta Pforten/
Campus Kampff/
Pondo Pfund/
Rivus Revier/
Legio Leich/

Tabernæ Zabern/
Colonia Cölln/
Crux Creutz/
Breve Brief/
Cornu Horn/
Nodus Knoden/
Magiſter Meiſter/

Mau-

Maurus Mohr/	Perdita legio Perlach/
Turris Thurm/	Vas Faß/
Diſtrictus Strich/	Corona Krone/ &c.
Cuprum Kupffer/	

Lazius in tractatu de migratione gentium talium vocum non parvum congeſſit numerum. Pari rationi in ſcribendo, uſi ſunt Græci, cum ab Romanis, terrarum dominis, quasdam voces recipere neceſſe haberent:

Κυαίςωρ Quæſtor,	Ἀκύλας Aquila,
Σάλβιος Salvius,	Ῥȣφῖνος Rufinus,
Κȣάδοι Quadi,	Βίκτωρ Victor.
Φράγκοι Franci,	

Nec ipſa Gallia peregrinis abhorret vocibus, imò nullam haberet lingvam, ſi peregrinas explodere vellet. Ultra hîc non commorabor, ſed ad propoſitum revertar. Vides igitur multas voces in uſu eſſe, quæ tamen ſcriptæ non inveniuntur, hinc perſvaſum habeo, omnino Κρανίον latinis uſutatum fuiſſe, non autem civitate ſua donaſſe, quod erat durius, quam ut absque offenſione oculorum legi potuiſſet. Multum enim diſcrepat, nec facile mutari poteſt: Primò K. Latini ignorant; Deinde accentus ex penultima in antepenultimam fuiſſet rejiciendus. Satius itaque putarunt, in litteris id non adhibere, quam peregrinæ voci vim afferre. Sic quoque σκέλετον in monumentis Romanorum non legitur, interim conſtat non raro fuiſſe uſurpatum. Inde enim Germanorum vox eſt Schätel/ quod capitis oſſa, carne & cute nudata, ſignificat.

CAP. VII.

De Romanorum ſtatione ſeu Römſtet.

Primo adſeritur eam eſſe tertium cladis argumentum: Deinde ex pagis, qui in leben *deſinunt conjicitur ſilvam Semanam olim multum in latitudinem patuiſſe: tandem totius rei geſtæ series & ordo quaſi per anacephalæoſin ob oculos ponitur.*

Römſtät ſive Remſtet eſt pagus diœceſis Gothanæ, ſub monte craniorum ſitus, uti ex tabula Geographica N. i. patet, nomen accepit à Romanorum ſtatione. Cum enim uti ex ſupra dictis patet, Romani intelligerent, ſe fraude Germanorum deceptos, &

inter ſpem & metum dubii fluctuarent, modo effuſo gradu fugiebant, modo ſe mutuo cohortantes, conſiſtebant, prælium inituri. Quoniam igitur hîc loci fortisſime reſtiterunt memores avitæ fortitudinis, locum quem vivi occupaverant, mortui tegere exoptarunt, à ſtatione eorum loco nomen eſt inditum, in perpetuam rei memoriam. De hâc Romanorum ſtatione ita Dio Caſſius ſupra laudatus diſſerit. Hinc iterum in ſilvas inciderunt, & cum ſe ab adortis hoſtibus defendere vellent, haud parum hoc ipſis ad cladem contulit. Cetera repetere hic ſuperſedebo, quoniam ſupra integrum contextum poſui. Ne vero cuiquam ſcrupulum moveant verba, queis autor dicit, Romanos in ſilvas incidiſſe, quippe nil arborum circa Römſtadium, neque ullus ſaltus præter nemus, quod eſt in monte craniorum, conſpicitur. Lector monendus eſt, maximam Geamaniæ partem olim ſilvis & vepretis horruiſſe. An etiam prope Römſtadium ſilva fuierit, non eſt, quod dubites. Nam ut taceam, quod communi Gothanorum ſermone tradatur, planiciem illam, quæ multum in longitudinem, multum in latitudinem patet, & vulgo die Schlichte vocatur, majorum ævo ſilvam fuiſſe, non leve argumentum ex pagis poteſt peti, quæ in leben deſinunt, e.g. Siebeleben/ Tütleben / Grabsleben. Nam ſucceſſu temporis, cum Germani quaſi miteſcerent, & cultiores Romanorum ſequerentur mores, horridas ſilvas exſcindebant, & terram, vino & frugibus ferendis, parabant.

His ita explanatis, totam rem velut per Anacephalæoſin repetam, ut uno intuitu percipi posſit, qvæ mea ſuper hac re ſit ſententia. Cum Romani Duce Varo, in Germaniam venirent, & usque ad Viſurgim procederent, proceres callidè eum circumveniebant, obſeqvium ſimulantes. Nam nihil laboris, nihil oneris recuſabant, quo eò ſecuriorem redderent. At verò inſidiis conſtitutis, quasdam in interiore Germania gentes, quæ verſus Thuringicam ſilvam incolebant, tumultum excitare jubent. Quo facto, ipſi Varo ſunt autores, ut, ad eos opprimendos, cum exercitu proficiſceretur, ne levis ſeditio in belli incendium erumperet, ſe quoque quam maximis poſſent copiis, ei ſubſidio venturos. Vix autem iter erat ingreſſus, cum primo diſperſos opprimerent Romanos, & mox ipſum cum exercitu in ſilvis hæren-

hærentem, undique invaderent. Hoc periculo commoti Romani, animis collectis, in loco, qui nunc Römſtadium dicitur, conſtiterunt, inpetum hoſtium excepturi. Verum cum locus eſſet iniqvus, & multi impunè vulnerarentur, vel trucidarentur, inviti cedere cogebantur. Hac fuga cum ad nemus, quod, à perdita legione, Perlach dicitur, perveniſſent, iterum gradum ſiſtebant, ſed non meliore, quam antea ſucceſſu. Legionibus enim occidione cæſis, aquilas quoque Germani rapiebant. Hâc victoria ſi uti potuiſſent Germani, ne nuncius quidem cladis ad Romanos rediiſſet. Poſtquam vero à cæde àc prædam ſe convertebant, reliquis elabendi dabant ſpatium. Nihilo minus, qui legiones, cohortes, & auxiliares copias computant, quas pugna adverſa ſuſtulit, non dubitant aſſerere, quinquaginta millia militum cecidiſſe. Ne vero hujus victoriæ memoria intercideret, capita à cervicibus revulſa, truncis arborum affixerunt, & locum, craniorum montem appellarunt.

Cap. VIII.

De Cheruſcorum poſt Arminii obitum ignavia & interitu.

Primo inſigne documentum inertiæ ex Tacito proponitur: Deinde indigitatur quando Saxones cœperint inclareſcere: Tandem quid ea tempeſtate Saxones egerint.

QVam fortes, quamquè manu ſtrenui olim Cheruſci fuerunt, tam turpiter poſtmodum degenerarunt, & cum hâc victoria terror gentium exiſterent, non multo interjecto tempore, ludibrio cunctis habebantur. Nam cum ſucceſſu rerum læti, prædæ incubarent, quam à Romanis reportaverant, belli ſtudia omittebant. Sic enim Tacitus, de moribus Germanorum Cap. XXXVI. *Cheruſci*, inquit, *nimiam & marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt, idque jucundius, quam tutius fuit, quia inter impotentes & validos falsò quiescas: Itaque qui olim boni æquique Cheruſci nunc inertes & ſtulti vocantur.* Quin etiam libr. XI. Annalib. Cap. XVI. notabili exemplo eorum ſtultitiam & inertiam memoriæ prodidit, referens: eos regem Româ petiiſſe, nobilibus per in-

interna bella amiſſis, & uno reliquo ſtirpis regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine Italus, & genus e Flavio fratre Arminii ducebat, in tantum degeneraverunt, ut proditoris patriæ progeniem ad faſces regni capiendos vocarent. Hinc idem Tacitus, erectioris animi viros, & quibus civium veſania minus probabatur, querentes inducit: *Adimi veterem Germaniæ libertatem & Romanas opes inſurgere: Adeo neminem iisdem in terris ortum, qui principis locum impleat, niſi exploratoris, Flavii progenies ſupra cunctos attollatur &c.* Eum incontemtum gens, virtute nobiliſſima, brevi venit, ut Taciti ævo, qui plus minus centum annis poſt cladem floruit, inertia & ſtoliditate eſſet infamis. Poſt Tacitum nemo ſcriptor, in rebus Germanorum indagandis, elaboravit. Hinc hiſtoriæ ſtudioſis id uſu venit, quod in tenebris palpantibus, ſentiunt quidem gentes viguiſſe, floruiſſe; periiſſe, intercidiſſe: At vero non poſſunt docere, quæ earum origo, qui ſucceſſus fuerit, quibus finibus ſe continuerint, aut quid rerum geſſerint.

Ceterum hoc pro certo habetur, in Germania noſtra, Adriano Cæſare, Saxones in clareſcere cœpiſſe. Ptolomæus enim Peluſiota, qui XL. annos poſt Tacitum tabulas Geographicas compoſuit Saxones ultra Albim fluvium ad initium Cherſoneſi Cimbricæ collocat, quorum tamen ille, qui cunctas gentes Germaniæ recenſet, nullam facit mentionem, hi nequaquam otioſi ſederunt, ſed primò Cheruſcos oppreſſerunt, & mox, dum fortunam habebant fautricem, usque ad Rhenum deſcenderunt, ita enim Zoſimus libr. III. ſub Conſtantiô Franci, Alemanni & Saxones, XL. ad Rhenum ſitas, urbes ceperunt, easdemque prorſus devaſtarunt, cives & incolas infinitæ multitudinis cum innumerabili ſpoliorum copia ſecum abduxerunt. Sed ſicut brevi interjecto tempore, Alemanni ad Argentoratum, Duce Juliano, ingenti cæſi ſunt prælio: Ita Saxones ad Deüſonem urbem, è regione Coloniæ Ubiorum ſitam, â Valentiniano Cæſare ſunt profligati: quod Oroſius & qui hunc ſequitur Paulus Diaconus, his verbis memorant: *Valentinianus Saxones gentem in Oceani littoribus, & paludibus inviis ſitam, virtute atque agilitate terribilem, in Romanos fines eruptionem meditantem in Francorum finibus oppreſſit:* Et Hieronymus in Chronico: *Saxones*, inquit, *cæſi Deuſione in regione Francorum:* vide Pontanum in Originibus Francicis ubi plura de hâc pugna invenies p. 101. Cum igitur intra ſeculi ſpatium

Saxo-

Saxones ab Oceani littoribus, usque ad Rhenum pervenerunt, veriſimile eſt, eos Cheruſcos quoque deleviſſe, quod poſt Saxonum memoriam, ne nomen quidem eorum apud autores invenitur.

Cap. IX.

Quinam populi hodiè Cheruſcorum terram incolant.

Primo docetur Saxones eam occupaſſe: Deinde agitur de eorum profectione in Italiam: Tertio multis teſtimoniis probatur, Svevos in ſedes vacuas ſucceſſiſſe.

HOc caput ut recte intelligas, paullò altius tota res eſt repetenda. Cum Saxones totam regionem, ab Oceani littoribus pertinentem usque ad ſaltum, quem nunc Thuringicum appellamus, armis òccupaſſent, interea temporis mira res accidebat quæ Italiæ fere erat fatalis, nec minus malorum in Germania excitabat. Cum Gothi, Duce Beliſario, eſſent debellati, & Narſes, bello finem impoſiturus, in Italiam mitteretur, non ſegniter quidem rem gerebat. At brevi interjecto tempore, in ſuſpicionem affectati regni, apud Cæſarem veniebat, quod inimici facta ejus criminabantur, & ſuperbiam objectabant. Hinc Sophia uxor Juſtini II. qui ab aliis Juſtinianus minor dicitur, temperare ſibi non potuit, quin aſpera lingva, cujus ſexus iſte alioqui non potens eſt, in eum inveheretur. Dicebat autem ſe hominem effæminatum, & muliere corruptiorem, ulterius militibus imperare non paſſuram: ſe eum ex caſtris quaſi poſtliminiò reducturum in Gynæceum, ut penſa inter puellas diſtribueret. Hoc Narſes intellecto, adeo incanduit ira, ut palam profiteretur, ſe telam exorſurum, quam neque Cæſar, neque Sophia poſſet retexere. Et ne fortius dicere, quam agere, videretur, extemplo ad Alboinum regem Longobardorum, qui tum ſteriles Pannoniæ agros incolebant, legatos mittebat, eum ſollicitatum, ut in Italiam, quæ omni frugum copia abundaret, cum copiis deſcenderet. Quo autem magis eum permoveret muneribus, de regionis fructibus, queis nihil amœnius, nihil eſt gratius usquam, ſimul transmiſſis, operam, conſilium, rem, fidem liberalisſime promittebat. Barbarus, tot tantisque ineſcatus promisſis, conſilio cum proceribus inito, legatos

ſpei

ſpei plenos dimittit. Ante expeditionem autem finitimos populos, & amicos precibus fatigabat, ut in ſocietatem prædæ venirent, nec à fortuna datam negligerent occaſionem. Hæc inprimis Saxonibus arridebant, jam dudum ſpei imminentibus, horrentes terras ſilvis; cum fertilibus agris commutandi. Ideo XX. millia ſe Longobardis jungebant, in tam opimam poſſeſſionem venturi.

Quibus digresſis, Svevi eas terras occupavere, rati ſatius eſſe, incolis, vacuam regionem, quamvis incultam adire, quam incerta ſpe opibus divitem quærere, nec eos conſilii poenituit. Nam poſſesſione firmata, ſilvas pedentim exſciderunt, ut, ubi olim latebræ eſſent ferarum, nunc agri, ſegetum ubertate læti, pasſim conſpiciantur. Ne quid fingere videar, ſatis locupletes teſtes in medium proferam. Imprimis verba Diaconi Warnefridi libr. 1. Longobardicæ hiſtoriæ cap. 6. ponderentur velim. *Poſt hæc Saxones, qui cum Longobardis in Italiam venerant, in Gallias irrumpunt: & intra territorium Regienſe, id eſt, apud Stalbonem villam caſtra conſtituunt, diſcurrentes per villas urbium vicinarum, diripientes prædas, captivos abducentes, vel etiam cuncta vaſtantes. Quod cum Mummulus comperiſſet, ſuper eos cum exercitu irruit, multosque ex iis interfecit: ac donec nox finem faceret, à cæde non ceſſavit. Ignaros enim repererat homines, & nihil de his, quæ acciderant autumantes. Mane autem facto, ſtatuunt Saxones exercitum, præparantes ſe fortiter ad bellum: Sed intercurrentibus nunciis pacem fecerunt, datisque muneribus Mummulo, relictis captivis & univerſa præda ad Italiam revertuntur. &c. &c. Certum eſt autem hos Saxones ideò ad Italiam cum uxoribus & parvulis adveniſſe, ut in eâ habitare deberent. Sed quantum datur intelligi, noluerunt imperiis ſubjacere. Sed neque eis à Longobardis permiſſum eſt, in proprio jure ſubſiſtere, ideoque exiſtimantur, ad ſuam patriam repedaſſe.* Similia Gotfrid Viterbienſis habet, *Alboinus*, inquit, *Rex Longobardorum intraturus Italiam, ab omnibus amicis ſuis Saxonibus petit auxilium, ut ſpatioſam Italiam cum pluribus poſſeſſurus intraret, ad quem de Saxonibus XX. millia virorum cum uxoribus & filiis cum Longobardis perpetuo manſuri venerunt. Hoc audientes Reges Francorum Clotharius & Sigebertus, Svevos & alias gentes in locis, unde Saxones exierant collocaverunt.*

Et Gobelinus in Coſmodromio *Narſes*, inquit, *convitiis Sophiæ Juſtini Imperatoris uxoris irritatus, ad Albuinum regem, qui in campis Pannoniæ conſederat, mittit, rogans, ut paupertina rura relinqueret. Et in Italiam regionem omni*

copia

copia abundantem, tranſiret. Rex Albuinus nuncio accepto, lætus legatos mittit ad univerſos Saxones, ut ſecum veniant Italiam poſſeſſuri. Hoc audito, Saxonum plus quam XX. millia virorum cum uxoribus & parvulis venerunt ad Longobardos, verum interjecto tempore, cum Italiam occupaſſent, & Longobardi eos ſibi vectigales vellent facere, indignati, domum redierunt. Ita enim Gobelinus pergit: *Saxones nolentes Longobardis ſubjici, nec à Longobardis in proprio jure permiſſi ſubſiſtere ad proprias ſedes repedare propro ſuerunt, qui poſt diverſa itineris pericula, dum ad Saxoniam perveniunt, invenerunt regionem ipſam à Svevis & aliis gentibus occupatam, quos reges Francorum ibi poſt diſceſſum Saxonum locaverunt, quos dum Saxones nitebantur expellere, illi pacem petentes, Saxonibus obtulerunt tertiam partem regionis, ut ſimul cum Saxonibus habitarent &c.* Ex his Gobelini verbis patet, quamvis Saxones ex Italia ſint regreſſi, Svevos nihilominus occupatis locis non ceſſiſſe, ſed regionem, ſine ſangvine quæſitam, eſſe tutatos; Et contra Saxones temere Italiam invaſiſſe, & turpiter poſt tot exantlatos labores eam deſeruiſſe. Digna ſunt verba Warnefridi, quæ hûc ponantur, pergit enim dicto loco, *cum Saxones ad ſuam patriam veniſſent; invenerunt eam à Svevis & aliis gentibus, ſicut ſupra memoravimus, retineri. Contra quos inſurgentes, conati ſunt eos deſtruere ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem regionis dicentes: Simul poſſumus vivere, & ſine colliſione communiter habitare. Cumque illi nullo modo acquieſcerent, dehinc obtulerunt eis medietatem poſt hæc duas partes, ſibi tantùm tertiam partem reſervantes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terrâ etiam omnia pecora, tantùm ut à bello ceſſarent. Sed nec ſic Saxones acquieſcentes certamen expetunt: itaque intra ſe, ante certamen, qualiter uxores Svevorum dividerent, ſtatuunt. Sed nec eis, ut putabant, evenit. Nam commiſſo prælio, viginti millia ex eis interempta ſunt: Svevorum vero quadringenti octaginta ceciderunt, reliqui vero victoriam capiunt. Sex millia quoque Saxonum, qui bello ſuperfuerant, devoverunt ſe, neque capillos inciſuros, niſi ſe de Svevis hoſtibus ulciſcerentur. Qui iterum pugnam adgredientes, vehementer contriti ſunt, & ſic à bello quieverunt.* Et Mutius in Chronico Germanico *Saxones,* inquit, *& alii Germani profecti ſunt in Italiam, & ſedes quæſiverunt feliciores, quàm in Germania habuerunt, cum quibus Clotharius Galliæ rex pacem facit, promittitq; illis rex, ſi vellent in patriam redire, ſe effecturum, ut Saxones per Svevos, qui Saxoniam tenebant, libere habitare poſſent. Saxones igitur magno numero mulierum & liberorum & pecorum domum eunt, ſed Svevi nullis neque precibus, neque minis moveri poterant, ut cederent Saxonibus,*

aut illis locum in ſuo loco darent, ut ſemel dicam: Res devenit ad arma, partes nullis æquis conditionibus convenire poterant: Concurrunt utrinq; acies conſtituunt, manus conſerunt, Svevi poſt longam pugnam victores evadunt, obtinent agrum Saxonicum, Saxones expellunt. Hinc adhuc hodie Svevorum lingvæ & morum veſtigia non ſunt obſcura in Saxonia. Vide etiam Aimoinum de rebus geſtis Francorum, & Cranzium in Saxonia. De Mutii veſtigiis alio tempore copioſius diſſeram, his præmiſſis, jam ad propoſitum veniam, & oſtendam Svevos eos Thuringici regni & gentis autores & conditores eſſe.

PARS ALTERA.

Diſſertationis

DE THURINGIS FICTIS ET DE FICTIS MONUMENTIS FRANCORUM IN IIS:

In ſpecie de Runiberga Unſtruta & Schidinga.

CAP. I.

Svevos Thuringici regni & gentis autores & conditores eſſe probatur.

Variæ autorum ſententiæ de nomine & origine Thuringorum : Svevi qui, Cæſari Tulingi vocantur pro Thuringis veris habentur : Ubi Tulingi habitaverint indicatur : Sagittarii & Cluverii ſententia de Tulingis recenſetur.

Communis eſt opinio, autore Peucero, Thuringos originem à Ponto Euxino ducere : Nam putat, eos dici quaſi Tyrigetas, uti ex Chronico patet. Nec recentiores, quos cunctos nominare non poſſum, ab ejus ſententia diſcedunt, ſed eam velut oraculum recipiunt. Jam vero non id agam, ut viri ſummi errorem ſugillem, nam laudes ejus majores ſunt, quam ut prædicare queam. Attamen in hoc aliquid humani paſſus eſt, quod nulla gens, ipſi ſatis antiqua fuerit viſa, niſi ex Oriente origo ejus potuit derivari. Hinc aſſerit Thuringos à Tyra fluvio, juxtà quem olim incoluerunt, nomen accepiſſe. Cum enim hûc & illûc gentes migrarent, nec ulla firmas ſedes laribus figeret, antumat, accolas Tyræ, qui hodiè Dnieper vocatur, in Germaniam veniſſe, & occupaſſe loca, quæ ex nomine eorum hodienùm Thuringia vocitantur. Verum etſi non dubito, Tyrigetas fuiſſe, attamen nullis poteſt probari documentis, quod in Germaniam venerint, multo minus, quod Cheruſcos ſedibus expulerint, aut quan-

quando eorum terram occuparint, Sagitarii ſententia de Tor Deo, quod ab eo Thuringi dicti ſint, tam elumbis eſt, ut vix conſiſtere queat, faceſſant igitur iſtæ Grammaticorum ineptiæ, qui vocibus, ut pueri fabis ludunt, Hiſtoricum certioribus niti oportet.

Quis igitur mihi vertet vitio, ſi figmenta, hæc reſpuam, argumentis inventis, quibus tutius inniti poſſim. Supra non levibus rationibus percepiſti, Cheruſcos eam terram, quæ Thuringia jam dicitur, adhuc Adriano Cæſare imperante habitaſſe: Poſt hunc Saxonum nomen eſſe celebratum, qui ad Rhenum usque victoriis pervenerunt, Conſtantio M. rerum potiente i. e. tertio poſt Chriſtum natum ſeculo: Porro XX. millia Saxonum, cum Alboino in Italiam abiiſſe, ſedesque eorum relictas, Svevos cepiſſe, Juſtino II. regnum tenente. Jam vero neminem fugit, Svevos tùm cis & ultra Rhenum incoluiſſe, & Saxones, qui verſus Oceanum agitarunt, ſedes deſeruiſſe, atque anno poſt C. N. CCCCXL. in Britanniam perveniſſe, ad incolas contra Scotos ſeu Pictos defendendos. Ita enim Beda in Hiſtoria Angliæ, citante Funccio, in Chronologia: *Vortigerus*, inquit, *Saxones in Britanniam vocavit. Britanni hactenus Romanis fideles, cum omni ab illis auxilio deſtituerentur contra Pictos & Scotos, qui bello ipſos premebant, à Romaniis defecerunt, alienaque auxilia quærere ſunt coacti. Angli-Saxones contra Scotos & Pictos in Britanniam vocati, Duce Hengiſto cum magna multitudine veniunt, hoſtibus victis, regnum occupant.*

Hinc non obſcurum eſt Svevos veterum Cheruſcorum terram, vel ut hodie vocamus Thuringiam occupaſſe, eique nomen dediſſe. Nec eſt, quod multum etymologiæ confidas, mihique objicias non poſſe probabilem reddi rationem, cur Svevi Thuringi poſtea ſint appellati. Nam velim ſcias, in origine gentium demonſtranda, non multum nominum convenientiæ, aut etymologiis eſſe tribuendum, quia, qui iis credit, facile decipi poteſt. Interim non deeſt ratio, quæ ſi tibi non probabilis videtur, non tamen meretur, tanquam abſurda ut rejiciatur. Probabilitate enim cum ſententia, quam ſupra poſui, poteſt contendere. Ex veteribus Geographis conſtat, olim in Svevia gentem fuiſſe, quæ Tulingi fuit appellata. Julius Cæſar de Helvetiorum migratione agens, *perſvadent* nempè Helvetii, inquit, *Romanis & Tulingis & Latobrigis, uti eodem uſi conſilio, oppidis ſuis vicisque exuſtis una cum iis proficiſcantur.* Ad hæc Cæſaris verba notat Rhellicanus *Tulingi vicini*

Hel-

Helvetiis verſus aquilonem inter Vogeſum & Moſellam. Sagittarius in Antiquitatibus Thuringiæ libr. 1. cap. 2. inter alias conjecturas, unde nomen Thuringiæ poſſit derivari, hanc quoque recenſet, ſed ſtatim rejicit, quod ipſi nihil fundamenti, præter nominis cognationem habere videtur. *Conveniunt,* inquit, *cum nomine Thuringorum Tulingi, quorum Cæſar libr. I. de bello Gallico mentionem facit, & in finibus Helvetiorum incoluiſſe tradit, Cluverius libr. 2. Germaniæ antiquæ cap. 7. ponit eos inter duos alveos Rheni confluentes ſupra Curiam, & lacum Brigantinum: alii ad fontes Iſtri & Nicari, ubi hodie eſt comitatus Nellenburgenſis, quæ poſterior ſententia eò magis veritati videtur conſentanea, quia ibi adhuc hodie oppidum Stülingen, ejusdem vere nominis, ſitum eſt. Alii per Tulingos Lotharingos volunt intellectos &c.* Hæc opinio quamvis ei abſurda videatur tamen verba ſuper hâc re ita finit, *hoc ſaltem adjiciam, me Georgii Schubarti ſententia inductum, ſuſpicari urbem Tullum, antiquitate epiſcopali ſede conſpicuam, Tulingis nomen dediſſe* Nolo hic, quæ pugnare videntur, examinare, ſufficit mihi quod Tulingi Svevi dicantur.

Et quis quæſo negabit, hos quoad vocem propiorem cum Thuringis habere cognationem, quam Peuceri Tyrigetas. Nam ſi una littera mutatur, nihil amplius obſtat, quominus eos unam atque eandem gentem eſſe aſſeras. Nec inſolentem tum fuiſſe mutationem litterarum patet ex voce Angria in qua R in L. fuit converſum, ut poſtea Anglia pronunciaretur. At vero longior hic eſſe nolo, quia conſtitui, in diſſertatione de Svevorum monumentis in Thuringia, pluribus agere, qui Thuringi ſint, & unde orti. Non tamen poſſum, quin Cluverii ſententiam, quam de Tulingis habet in Antiquit. German. in medium proferam, ut Sagittarii ſuſpicio clarior evadat. *Perquam,* inquit, *imperitè faciunt, qui Tulingos in Lotharingorum hodiè agris collocant, nullis aliis rationibus ducti, niſi quod utrumque vocabulum terminatur in ing: Dein quod Lotharingorum hodiè eſt Toul, quod antiquitus ne Sequanorum quidem, ſed ultra hos Leucorum fuiſſe, ſatis idoneis infra probabitur rationibus. Quidam eosdem Tulingos ponunt trans Rhenum circa Sveviæ nunc oppidum Stülingen. Hi ſi majore certe non minore verſantur errore:* Fx his verbis conſtat, Cluverio jam ſuſpicionem de Toul fuiſſe cognitam, eumque ab Sagittarii ſententia. quod ad Tulingos attinet abhorrere, mea parum refert, ubi locorum iſti populi habitaverint, cum nihil aliud eam probatum, quam eos Thuringos eſſe, qui in locum Saxonum ſucceſſere. Cæterum quamvis argumenta Sagittarii, queis locum Tulingorum indagare

gare

gare nititur, non ſubſiſtere queant non tamen deſpero, quin alia argumenta poſſint inveniri, quæ demonſtrent Tulingos Lotharingiam incoluiſſe. Procopius enim, qui Gothicum bellum, à Beliſario Duce geſtum, magna fide compoſuit, & Juſtiniano faſces imperii tenente, floruit, memoriæ prodit: *In Galliis alia pleraque flumina ſunt, ſed Rhodanus imprimis & Rhenus hinc defluunt, diverſa tamen & contraria ab invicem via labuntur: Rhodanus ſiquidem in mare Tyrrhenum exit, & in Oceanum Rhenus immittitur. Paludes præterea hiſce in locis non paucæ ubi primitùs Germani, gens barbara habitabant, nec magni tunc primum momenti viri, qui Franci nunc vocitantur. His finitimi Arborichi accolæ erant, qui cum cetera Gallia, atque item Hiſpania jam pridem Romanis parebant.* Poſt hos in orientem ſolem Toringi barbari ſunt, qui Cæſaris Auguſti permiſſu, ſedes has tenuere, & ab his Burgundiones haud procul ad Notum ventum vergentes inhabitant. Per Toringos Procopium Tulingos, qui inter Vogeſum & Moſellam incoluerunt, quorumque regio nunc Lotharingia vocatur, intelligere, tam manifeſtum, tamque clarum eſt, ut probatione non egeat. Primò enim Auguſti tempore Toringos in Germania extitiſſe, nemo veterum autorum aſſerit: Deinde ex Julii Cæſaris Commentario patet, Tulingos Svevos fuiſſe, &, ad mutandas ſedes, ab Helvetiis inſtigatos: Porro Rhellicanus addit Vogeſum inter & moſellam ſedes poſtea habuiſſe: Tandem accedit Procopius & confirmat eas ſedes ab Auguſto Toringis fuiſſe permiſſas. Quinam igitur ſunt illi Toringi? anne Tyrigetæ eò usque ſunt progreſſi, ut Auguſti tempore trans Rhenum pervenerint, & Auguſtus neceſſe habuerit, eis ſedes permittere. Quilibet facilè poteſt intelligere, hoc nihil abſurdius, nihil magis univerſæ hiſtoriæ contrarium, excogitari poſſe. Et quamvis diverſi populi videantur Procopii Toringi, & Cæſaris Tulingi, facilè tamen conciliari queunt. Lazius in Migrationibus Gentium *Turegum*, inquit, *nobiliſſimum Sveviæ oppidum eſt, & hodiè mutatis litteris Tigurum apellatur.* Si igitur res ita ſe habet, non mihi alienum videtur, Svevos inde digreſſos, modo Tulingos, modo Turingos fuiſſe nominatos, de hac materiâ infra plura faciam verba.

CAP.

CAP. II.

Objectiones refutantur.

Primò examinatur Witikindi figmentum, qui tradit Thuringos omnem tractum Germaniæ inter Viſurgim & Albim usque ad Oceanum Germanicum tenuiſſe: Deinde negatur Diſpargum in finibus Thuringorum ſitum fuiſſe; & contra aſſeritur Tungros ditione id tenuiſſe: Tertiò refutatur, Baſinum Regem noſtræ Thuringiæ fuiſſe; Et Lotharingiæ illum præfuiſſe oſtenditur: Quartò probatur ſæpe pro Tungris Thuringos poſitos fuiſſe: Tandem Hermenfridum, qui a Francis victus dicitur, non Thuringorum Regem fuiſſe, multis argumentis evincitur.

HUic ſententiæ, quanquam non levibus nitatur argumentis, ingentem turbam hiſtoricorum & veterum & recentioris ævi refragari video: Cum quod multi de Thuringorum factis multa commemorant, antequam Svevi in Saxonum locum ſucceſſerunt, tum potisſimum, quod jam ante Saxones terram inter Albim & Viſurgim tenuiſſe dicunt, & demum ab advenis Saxonibus, in eas anguſtias, quas nunc posſident fuiſſe coactos. Ita enim Witechindus Saxonicæ hiſtoriæ autor. *Pro certo,* inquit, *novimus Saxones, his regionibus navibus advectos, eo loco primum applicuiſſe, qui usque hodiè nuncupatur Hadolaun. Incolis vero adventum eorum graviter ferentibus, qui Thuringi traduntur fuiſſe, arma contra eos movent: Saxonibus verò acriter reſiſtentibus, portum obtinent. Diù deinde inter ſe dimicantibus, & multis hinc inde cadentibus, placuit utrisque de pace tractare, & fœdus inire: ictumque eſt fœdus eo pacto, quo haberent Saxones vendendi emendique copiam, cæterum ab agris, à cæde hominum atque rapina abſtinerent: ſtetitque illud fœdus inviolabiliter multis diebus. Cumque Saxonibus defeciſſet pecunia, quid venderent aut emerent non habentibus, inutilem ſibi pacem arbitrabantur. Ea igitur tempeſtate contigit, adoleſcentem quendam egredi de navibus, oneratum multo auro, torque aurea, ſimulque armillis aureis: cui obvius quidam Thuringorum, quid ſibi vult, inquit, tam ingens aurum circa tuum famelicum collum? Emtorem, inquit, quæro, ad nihil aliud iſtud aurum gero: qui enim fame periclitor, quî auro delecter? At ille qualitatem quantitatemque precii rogat. Nullum, inquit, mihi Saxo eſt diſcrimen in pretio, quicquid dabis, gratum teneo. Ille vero ſubridens adoleſcentem, quid ſi, inquit, de iſto pulvere ſinum tibi impleo? erat enim in præſenti loco egeſta humus plurima. Saxo nihil conctatus, aperit ſinum, & accepit humum, illicòque Turingo tradidit aurum: lætus uterque ad ſuos repedat. &c. &c. Ille autem ſumta humo per vicinos agros*

quam

quam potuit ſubtiliter ſparſit, & caſtrorum loca occupavit. Ut autem videre Thuringi caſtra Saxonum, intolerabilis res eis viſa eſt, & miſſis legatis, conqueſti ſunt de rupto fœdere, ac violato pacto, ex parte Saxonum. Saxones reſpondent, ſe hactenus fœdus inviolabiliter ſervaſſe: terram proprio auro comparatam cum pace velle obtinere, aut certè armis defendere. His auditis, incolæ jam maledicebant aurum Saxonicum, & quem paulo ante felicem eſſe prædicabant, autorem perditionis ſuæ, ſuæque regionis, fatentur. Ira deinde accenſi, cæco Marte ſine ordine, & ſine conſilio irruunt in caſtra: Saxones vero parati hoſtes excipiunt, ſternuntque, & rebus proſperè geſtis, proxima circùm circà loca jure belli obtinent. Diu itaque crebroque cum ab alterutris pugnatum foret, & Turingi Saxones ſibi ſemper ſuperiores fore penſarent, per internuntios poſtulant, utroſque inermes convenire, & de pace iterum tractare, condicto loco dieque, Saxones poſtulatis ſe obedire reſpondent. Erat autem illis diebus Saxonibus magnorum cultellorum uſus, quibus usque hodiè Angli utuntur, morem gentis antiquæ ſectantes. Quibus armati Saxones ſub ſagis ſuis procedunt caſtris, occurruntque Turingis condicto loco. Cumque viderent hoſtes inermes, & omnes principes Turingorum adeſſe, tempus rati totius regionis obtinendæ, cultellis abſtractis ſuper inermes & improviſos irruunt, & omnes fundunt, ità ut ne unus quidem ex eis ſuperfuerit. Inde Saxones clari exiſtere, & nimium terrorem vicinis incutere cœperunt. Fuerunt autem &, qui hoc facinore nomen illis inditum tradant. Cultelli enim noſtra lingva Sabs dicitur, ideoque Saxones nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudiſſent.

Et Turonenſis in hiſtoria Francica, *tradunt*, inquit, *multi* Francos de Pannonia digreſſos, & primum quidem littora Rheni incoluiſſe, dehinc tranſacto Rheno Thuringiam transmeaſſe &c. & paucis interjectis, pergit, *tunc Clodionem utilem & nobiliſſimum in gente regem Francorum fuiſſe, qui apud Diſpargum caſtrum habitabat, quod eſt in termino Thuringorum. Habitavit itaque Clodio in Diſpargo caſtello in finibus Thuringorum in regione Germanica.* Item Aimöinus & Sigebertus: Sed ſicuti Witichindus à Gallicis ſcriptoribus inductus, id tradidit, quod retuli, ita non opus erit, ut in eô refutando, multa verba faciam; Nam ſi Turonenſis traditio deſtruitur, omnes, qui eum magno numero ſecuti ſunt, ſimul refutantur. Ita autem Sagittarius in ſtatus Antiqui Thuringiæ libello, de his autorum verbis, quæ cuncta refert, diſſerit: *Si Diſpargum caſtellum Thuringorum*

gorum fuit, quam late olim fines hujus gentis patuerint, in propatulo eſt. Fateor equidem, hæc ipſa ſcribenti, ſuſpicionem venire in mentem, ac ſi forſan primus rerum Francicarum ſcriptor Diſpargum Caſtellum nuncupaverit, non Thuringorum, ſive ut alii habent Doringorum, ſed Tungrorum: ac vel ipſorum, qui ſecuti ſunt ſcriptorum, vel librariorum vitio potius, Toringos locum occupaviſſe. Hactenus bene quidem, at in eo non eſt laudandus, quod rem non accuratâ penſitaverit æſtimatione. Nam quod una manu dedit, alterâ iterùm deſtruit, dum dicto loco pergit. Attamen ſicut hæc levis conjectura, ita nec mihi, nec aliis eandem perſvaſero, maneat igitur Francis, ſed Germanis hæc gloria, quod Thuringis ſedibus expulſis ſucceſſerint. Verum quemadmodum hæc non prima ejus eſt ſuſpicio, nec etiam levis, ut ſcribit, tantùm conjectura: Sed codicum antiquiſſimorum fide probata, ita tam facilis largiendo eſſe non debuiſſet. Audiamus ſæpè laudatum Pontanum: *Chlodius Francorum Rex, anno Theodoſii junioris quinto, ut refert Proſper, id eſt, anno Chriſti CCCCXXIV. regnans, & ut addit Gregorius Turonenſis trans Rhenum* apud Diſpargum in terminis Tungrorum caſtrum habens, *miſſis exploratoribus ad Cameracum usque, Belgicam invaſit, caſtrum Diſpargum, ſeu ut nunc dicimus Duisburgum, ex quo profectum Chlodium Turonenſis indicat, Francici regni ſedem fuiſſe notat. Aimoinus libr. 1. cap. 4. caſtellum, inquiens quoddam Diſpargum nomine, occupant Franci, in quo rex Chlodio ſedem ſui conſtituit regni;* In terminis autem Tungrorum, vetuſtiſſimum habere Turonenſis lectionem, teſtatur in editione ſua Morelius. Cum aliàs pro Tungrorum, Toringrorum minus accurate in Turonenſi non modo, ſed & reliquis omnibus Chronologis, ut Sigeberto & aliis, qui eum ſecuti, vulgo edatur.

Hoc calculo ſuo confirmat Gotfridus Wendelinus in Natali Solo legum Salicarum cap. 14. Gotfridus Henſchenius, in Diatriba de Tribus Dagobertis Francorum regibus, libr. 4. cap. 8. & Ægidius Buccherius in Belgio Romano libr. 15. cap. 10. Hos autores, cum, interjecto tempore, evolviſſet Sagittarius, piguit eum ſupra citatorum verborum, quod crediderit, ſe primum omnium id conjecturaſſe, pro Tungris Toringos eſſe poſitos. Quo igitur illam maculam elueret, tanquam immemor ſuæ eſſet ſuſpicionis, magno niſu verba dictorum

E auto-

autorum aggreſſus Duisburgum Thuringis vindicare voluit. Nam poſtquam in Antiquitatibus Regni Thuringici cap. 2. libr. 2. quicquid in contrariam ſententiam proni, copioſè dixerant, recenſuiſſet, §.44. ita concludit: *quo vero tandem quid ſentiam pateat, conſtanter autumo, unum tantùm Diſpargum eſſe, quod rex Chlodio occupavit, idque in finibus regni Thuringici ſitum: Inde Francus exploratis ultra Rhenum regionibus, Cameracum, & alias urbes occupavit, verſus Galliam regnum prolaturus. Et quoniam Diſpargum ad Rhenum fuit poſitum, per ſe patet, quoniam hic locus ad Thuringiæ pertinuit regnum, fines hujus regni quam longiſſime à noſtra Thuringia abeſſe, quæ olim multum in longitudinem & latitudinem patuit.* Nolo jam examinare, quam conſtanter id cenſuerit, ſed lectorem ad ipſum remitto, ut oculis cernat, quam firmis argumentis contra pugnet. Hæc charta anguſtior eſt, quam ut omnia capiat, quæ in utramque partem diſputat.

Sed dicat aliquis, fac dictis locis Thuringos pro Tungris eſſe poſitos, & Diſpargum longe à Thuringorum finibus tùm abfuiſſe, quid autem de fugâ Childerici ſentis, & Clodovæi cum Thuringis bello? anne adhuc dubitas, Thuringos ante Svevos Cheruſcorum terram habitaſſe? equidem nihil minus. Ut autem tota res clarius pateſcat, ſcriptorum verba adjiciam. De Childerico Sigebertus Gembiacenſis ad annum CCCCLXI. *Hildericum inſolenter & luxurioſè ſe agentem, Franci regnô deturbant, qui data aurei medietate amico ſuo Widiomaro, quod eſſet ſignum revocationis ſuæ, ſi aliquando intercederet reconciliatio, apud Baſinum regem Thuringorum latuit annos octo.* Si ceteros autores qui de fugâ hujus Regis ſcripſerunt ſcire deſideras, evolve Sagittarium dicto loco. Nam mihi non eſt animus omnia, quæ hûc pertinent recenſere. Octo annis, vel ut Trithemius habet, tribus elapſis rex Hildericus à Francis fuit revocatus. Cum vero Baſina Thuringorum Regis uxor, cum qua conſvetudinem ſtupri habuiſſe ferebatur, ejus armore arderet, relicto marito, adulterum in Franciam eſt ſecuta. Ita enim pergit Sigebertus: *Baſina uxor Baſini regis Thuringorum, relicto viro ſuo, ad Hildericum venit, quam ille uxorem ducit, & ex ea Chlodovæum genuit, hic Chlodovæus Thuringos bello perſecutus, eosque ſibi tributarios feciſſe dicitur.* In geſtis Francorum epitomatis hæc verba leguntur: *Chlodovæus dicimo anno regni ſui commoto exercitu magno, in Thuringiam abit, ipſosque Thuringos plaga magna proſtravit. Devictoque ipſo populo, totaque eorum terra vaſtata, ipſos Thuringos*

gos tributarios Francorum fecit, & Sigibertus ad annum CCCCVC. Chlodovæus, inquit, Thuringiam ſibi ſubjugat. Hæc omnia ante Svevorum migrationem in Saxoniam Thuringis accidiſſe traduntur.

Quin etiam Hermenfriedum cum fratribus Baderico & Berthario Thuringos fuiſſe, & à Francorum rege, Theodorico victos, & deletos perhibent. Ita enim Turonenſis libr. 3. cap. 4. *porro*, inquit, *apud Toringos tres fratres regnum gentis illius retinebant, id eſt, Badericus, Hermenfridus atque Bertharius. Denique Hermenfriedus fratrem Bertharium, vi opprimens, interfecit, is moriens filiam Radegundem orphanam dereliquit. Reliquit autem filios, de quibus in ſequentibus ſcribemus. Hermenfriedi uxor iniqua & crudelis, Almaberga nomine, inter hos fratres, bellum civile diſſeminat. Nam veniens quadam die, ad convivium vir ejus, menſam mediam opertam, reperit. Cumque uxorem, quid ſibi hoc velit, interrogaret, reſpondit: qui, inquit, à medio regno ſpoliatur, decet eum medium menſæ habere nudatum. Talibus & his ſimilibus ille permotus, contra fratrem inſurgit, ac per occultos nuncios Theodoricum regem, ad eum perſequendum invitat, dicens: Si hunc interficis regionem hanc pari ſorte dividemus. Ille autem gaviſus, hoc audiens, cum exercitu ad eum dirigit. Conjunctique ſimul, fidem ſibi invicem dantes, egreſſi ſunt ad bellum, confligentesque cum Baderico exercitum ejus atterunt, ipſumque obtruncant gladio: & obtenta victoria, Theodoricus ad propria eſt reverſus. Protinus Herminefridus oblitus fidei ſuæ, quod regi indulgere erat pollicitus implere deſpexit, ortaque inter eos eſt grandis inimicitia.* His ſimilia Aimoinus libr. 2. cap. 9. habet, & Sigebertus ad annum CCCCCXIIX. Notat: *Theodoricus ab Ermenfriedo Rege Thuringorum, ad perimendum fratrem Baldericum, pactionem medietatis regni invitatus Baldericum regem perimit.* Hæc ſunt argumenta & rationes, quæ meæ ſententiæ opponi poſſent, quod hæc in Thuringis ante à Francis geſta dicuntur, quam Saxones in Italiam abierunt: & Svevi in horum locum ſucceſſerunt. Verum ſicut Sagittarius in dictorum Hiſtoricorum verbis multa ἀσύστατα ſe deprehendere ait, nec in eorum refutatione vult morari. Ita ego nihil horum Thuringis accidiſſe, qui mediam Germaniam incolunt, claris verbis aſſerere nil dubito: quippe qui longo poſt tempore, ibi extiterunt, uti ſupra eſt oſtenſum. Cadit igitur quicquid Hiſtorici de regno noſtræ Thuringiæ ſcripſerunt. Nam neque Franci bellum cum Regibus Thuringiæ hujus geſſerunt, neque Almaberga Regina hujus provinciæ fuit: Neque Childericus in ea latuit. Jam vero non credibile, ſupra citatos autores has

hiſtorias finxiſſe, cum aliàs bonæ fidei habeantur. At vero recentiores hiſtorici illos,non rectè intellectos,perverterunt. Quod enim illi de Tungris dixere vel Tulingis, qui alias Turlingi vocantur, ut infra pluribus oſtendam, id ad noſtram Thuringiam transferebant, quoniam illarum gentium memoria erat obliterata, ut verò id eò commodius fieri poſſet, pro Tungris Veterum hiſtoricorum ſubſtituebant Thuringos, notum ſibi populum. Ita Johannes, Iſacius Pontanus ſuper hâc re diſſerit: *Turonenſis & ex eo Aimoinus, aliique hoc etiam adjiciunt, quod, cum jam regno & rebus reſtitutus eſſet Hildericus, Baſinam regis Thuringorum uxorem in conjugem acceperit, niſi & ibi & ante, ubi ad Thuringos fugiſſe memoratur vitium eſſe, ex nominum Thoringorum & Tungrorum confuſione exortum, ſuſpicari libeat, & Tungrorum exaratum aut exarandum potius; quemadmodum & ſupra ubi ſimiliter Diſpargum in terminis Thoringorum genuina germanaque lectio fuerit, ut ante oſtenſum eſt. Et ſane ut nobis quidem videtur, nonne ſimilius vero ſit, in proximis unde & ortus & digreſſus eſſet Tongris, ſive cis ſive ultra Rhenum dilituiſſe apud aliquem Tungrorum regulorum, cujusmodi tunc non unus fuit, ut infra patebit, Hildericum, quo in omnem eventum propior præſtoque eſſet, quam in Thoringis tam longe diſſitis quosque inter & Francos, Alemanni aliæque gentes Francorum ſucceſſibus infenſiſſimæ, tunc intermediæ colerent. Quibus accedit, quod & Germani & præſertim illi ex adverſo, & infra Coloniam Agrippinam occidui, peculiari Tongrorum vocabulo antiquitus appellati exiſtimantur: ut Tacitus innuit, quotque ipſum vocabuli poſteriores exinde ſcriptores ſæpiſſime & ut plurimum in ore habuerint. Sanè primos fuiſſe Tungros, qui Rhenum transgreſſi, Gallos expulerint Germanici nominis auſpicium fecerint, idem innuere videtur. Quin imò operæ pretium eſt, hoc loco non omitti verba Huberti Leodii ex libello de Tungris & Eburonibus, ubi, inquit,* Tünger-See *eſt Francis orientalibus, qui olim è regione Coloniæ Agrippinæ habitarunt ultra Rhenum; deinde cum Tungris eas terras, quas nunc tenent, circa Herbipolin occuparunt &* Tunger-See *& lacus Tungrorum incoluerunt,* hactenus Pontanus. Non habeo, quod in his corrigam aut mutem, cuncta ita diſputat, ac ſi Thuringis hanc gloriam eripere & Tungris vindicare velit. Nec ego ei litem intentabo, ſed potius eum laudo, quod adulterii crimine patriam abſolvere, & Tongris eam notam inurere voluerit.

Neque hoc abſque fundamento eſſe, patet ex capite ſuperiore ubi oſtenditur, nullos omnino Thuringos fuiſſe, eo quidem tempore, quo hæc geſta dicuntur. Niſi forſan autoris Chronicæ Regum Francorum anno

anno 1583. Francofurti editæ, cuipiam probetur ſententia. Qui de Childerico ita ſcribit: *Rex pejora ſibi metuens in Thulingiam hodiè Lorraine vocatum, profugit conſilium Viridomari amici ſui ſecutus, manſit etiam poſt eum ſuperſtes Thulingiæ regina, quæ relicto marito, Childericum in Galliam ſecuta eſt.* Et in hiſtoria Clotharii, *accepto nuncio initi, inter Saxones & Tulingos fœderis, confeſtim duxit exercitum in Tulingiam hodie Lorraine dictam, cujus inſperato adventu conſternati Tulingi, illico ſeſe ſuaque omnia permiſerunt poteſtati Clotharii.* Sed quamvis præter hunc autorem nemo eſſet, qui de Tulingis hæc affirmare audeat, non tamen tam eſt abſona ſententia, ut Sagittarius eam ſibi imaginatur, nec is adeò imperitus, qui idem ſentit, ut Cluverius in Antiquitatib9 Germaniæ putat. Itaque rebus in utramq; partem bene perpenſis, tandem exiſtimo, & tantum non pro certo habeo, Childericum apud Tulingos tutum egiſſe exilium A. C. CCCCLX. & hos demum Clotharium A. C. circiter CCCCCLXIX. Saxonibus in Italiam digreſſis victos & debellatos, in Saxoniam incolis vacuam migrare juſſiſſe, Juſtino II. imperante. At Herminefridum L. annos ante, qui Tongris præerat, à Theodorico Francorum rege ſuperatum, Juſtino I. imperante Tolbiaci dolo occiſum eſſe.

At vero hiſtoricos rerum Thuringicarum mihi indignari video, quod novus homo, neque adhuc ullis ſcriptis clarus, tam veterem, tamque Communem ſententiam impugnare, aut in dubium vocare auſim, cum nemini obſcurum eſſe debeat, antiquiſſimos ſcriptorum tradere, prælium Theodorici cum Herminefrido apud Onſtrutam fluvium Thuringiæ eſſe factum. Ita enim Turonenſis: *denique cum Thoringi ſe cædi vehementer viderent, fugato præ timore Herminefrido, terga vertunt, & ad Oneſtrudem fluvium usque perveniunt, ibique tanta cædes Thuringorum facta eſt, ut alveus fluminis congerie cadaverum repleretur, & Franci tanquam per pontem ſuper ea in littus ulterius tranſirent.* Huic ſuffragatur Aimoinus libr. 2. cap. 9. *profectus Theodoricus in Thuringiam obviam habuit Hermenfridum, cum innumera multitudine hoſtium, foderant autem Thuringi foſſam, quam texerant operimento cæſpitum, ut advenientium inibi debilitarentur equi Francorum: Quo cognito, Franci acriter indignati hoſtes ultima labefactarunt pernicie, actosque in fugam usque Oneſtruck fluvium proſeqvuntur. Ibi etiam adverſarii reſiſtere auſi, tranſituque Francos prohibere gravi ſatagebant certamine. Sed ubi ſe Franci ipſo uſu veteri, aſſvetaque vincendi confirmarunt conſvetudine, ordine ſuo nixi incurſantes cædere, ſcutis repellere, niſu omni ac virtute inconditam multitudinem in fluvium*

vium urgere cæptum. Witichindus duo loca indicat, unum ubi bellum cœptum : alterum ubi fuit confectum. *Thiadericus cum gravi exercitu appropiquans terminis, Thuringorum, inuenit cum valida quoque manu, generum ſuum, ſe expectantem in loco, qui dicitur* Runiberg *& commiſſo certamine pugnatum eſt ancipiti bello, una die & ſecunda: tertia vero die victus Ermenfridus ceſſit Theaderico, & fugiens tandem, ſe recepit cum reliquo comitatu in urbem quæ dicitur* Schidingi, *ſita ſuper fluvium, qui dicitur* Unſtrude. Fateor equidem hæc verba autorum, quos citare poſſet, mihi oppoſiturus, meæ ſententiæ adverſari, quod omnes uno quaſi ore clamant, Thuringos à Francis eſſe ſuperatos. Verum levi ictu omnes labefactabo rationes.

Sane dum hæc ſcribo non mihi temperare poſſum, quin frivolam librariorum audaciam incuſem, quâ tot errores in hiſtoriam irrepſerunt. Si enim res ipſis ignota erat aut falſa videbatur, non ullo adhibito judicio, confeſtim quid addebant, vel litura delebant. Hoc etiam in noſtra hiſtoria, de qua nunc ago, uſu veniſſe, ex ſupra dictis patet, uti ex Pontani hiſtoria Francica oſtendi, Thuringos pro Tungris eſſe ſcriptos. Hoc omnino ita ſeſe habere, Beati Rhenani exemplo probare poſſum. Nam ex Inſtitutionibus Germanicarum Rerum patet, quod pro Tungris Thuringos ſubſtituerint, ejus verba ita ſonant: *Apud Paulum Diaconum legitur de populis, Attilæ ſubjectis, fortiſſimæ nihilominus gentes Marcomanni, Svevi, Quadi, præterea Heruli,* Turcilingi ſive Tungri. Scribo ſive Thuringi.. *Nam pro Thuringis doctus quispiam cui nomen gentis notum non erat ſuppoſuit ſive Tungri.* Ex hoc exemplo manifeſtiſſimum eſt, a ſcriptoribus Thuringos pro Tungris eſſe ſuppoſitos. Quamvis alias ejus ſententia adeo mihi non improbetur, ut potius eam laudibus extollam, quod odoratus eſt, per Turcilingos, (vel ut in meo extat exemplari Diaconi, quod ego poſſideo, Turlingos) Turingos vel Tulingos intelligi debere. Attamen hoc inde probare poſſum, ſæpè ab hiſtoricis Thuringos pro Tungris eſſe ſuppoſitos.

Populi hujus originem & ſitum, Cluverius ita exponit *Condruſi, Eburones, Cæreſi, Pæmanique, quos Cæſar libr. II. Belli Gallici, uno nomine Germanos fuiſſe appellatos dicit, primi Rhenum transgreſſi, Gallos finibus expulerunt*

ſupra

ſupra aſſignatis. Hi ab initio Germani, poſtea Tungri fuere dicti, Tungri enim a ſcriptoribus Cæſaris ætatem ſequentibus, in iisdem finibus collocantur, quos Cæſaris ævo quinque illæ nationes tenuere. Verum à victis Gallis, qui unam nationem putabant, quia junctim ex patrio ſolo advenerant, primum Germani ſunt dicti, quod nomen poſtea adeo apud omnes Gallos invaluit, uti quinque illæ nationes eo tanquam peculiari vocabulo appellarentur. Nec eſt, quod quis objiciat, ſi in Galliam ſunt profecti, eos in Germania amplius non quæras. Nam ſicut totæ nationes raro abierunt in aliam provinciam, ita hoc certisſimum eſt, Tacitum Tencteros ad Rhenum collocare infra Colonienſes, ubi nunc eſt Juliacum, hos alio nomine Tingros Ptolomæus vocat, & veteres Chartæ Geographicæ ibi locorum Tingros ponunt, ubi Luppia in Rhenum ſe exonerat, quid? quod Philippus Melanchthon expreſsè ait in Chronico, Tencteros & Tungros eundem populum eſſe judico. Audiamus inſuper Johannem Neuwaldum Lemgovienſem, qui in Commentario de Antiquis Weſtphaliæ Colonis ita ſcribit, ex Ptolomæo haud obſcurè patet Tenchteros, quos Tingeros ipſe appellat, finitimos fluviis Luppiæ, Lani & Rheni agros excoluiſſe comitatumque Naſſavienſem contigiſſe, quod ab aliis diſtinctius & illuſtrius inculcatur. Poſtquam igitur ſatis eſt probatum Tungros extitiſſe & ubi: Quodque ipſorum nomen & res geſtæ Thuringis falsò adſcribantur, jam ex locis, ubi prælia ſunt habita idem confirmabo.

CAP. III.

De Runiberga.

Ubi Witichindus dicit prælium cum Thuringis eſſe commiſſum.

Primò apparatus prælii ordine exponitur; Deinde ubi Runiberg ſita ſit, & quale hodiè nomen habeat. Tertiò Sagittarii ſententia refutatur, qui Mſc. Martini Poloni ſequens Tenneberg interpretatur, tandem obiter de urbe Tolbiaco ſeu Zülbich.

QUemadmodum veterem Arminii victoriam Thuringiæ noſtræ vindicavi, ita nunc dedecus & clades, quas Hermenfridus paſſus dicitur, procul ab eâ argumentis non ſpernendis, amovebo. Nemo Francicorum ſcriptorum quicquam de loco tradit, uti ex ſupra citatis locis patet: At vero quod iſti neglexerunt Witichindus diligentisſimus autor addidit. Nam primò notat locum ubi

ad

ad pugnam convenerunt, deinde Schidingen, ubi bellum confectum eſt. Omnes autem uno ore referunt ad fluvium Unſtrutam cladem maximam, & genti fatalem ruinam eſſe illatam. Quod igitur ad primum attinet locum, qui Runiberg à Witichindo dicitur, negare non poſſum, me dubium habere, cum neminem ſcriptorem videam, quem ſequi poſſem. Sagittarius quidem in Epiſtola de ſtatu antiquo Thuringiæ putat, in Martini Poloni Mſc. ſe inveniſſe, quod omnem dubitationem tolleret: Ipſa verba, quæ huc adjiciam, velim Benevole Lector perpendas. *Sunt, qui prælium illud, antequam fugerent Thuringi, ad Ronneburgum geſtum autumant, inducti procul dubio Witichindi annalibus, qui locum Runiburgum vocat, ad quem in notis Heinricus Meibomius: Runiburgum hodiè Ronneberg.* At in Mſc. Martini Poloni locus prælii vocatur Tenneberg, *& bellè quidem. Nam Tenneberga in hoc tractu ſita eſt, à quo longè abeſt Ronneburgum.* Verum ſicut conſtitui nullius autoritatem, ſed ſolam veritatem ſequi; Ita mihi licebit, tùm à Mſc. Poloni, tùm a Sagittario, aliàs de Thuringia optimè merito diſſentire. Qvi ingenium loci, ejusque naturam habet cognitam, ſine dubio, vel me tacente, intelliget, eum pugnæ comittendæ, aut aciei inſtruendæ, a Ducibus peritis, & utrinque ſe ſtudiosè præparantibus, eligi non potuiſſe. Jam vero ex ſupra citatis verbis accepimus, Theodoricum Runibergæ fratrem offendiſſe, ſe expectantem, & Thuringos foſſis factis, inſidias ſtruxiſſe. Stolida autem ratione Hermenfridus militaſſet, ſi ſilvæ præſidio neglecto, ad fraudes, parum profuturas, animum convertiſſet: Accedit quod neutra acies explicare ordines valuiſſet, inter tot montium juga concluſa: ſed mittam hæc tanquam rem, ad me non pertinentem, & potiùs ex hiſtoricis monumentis probabo, ad Tennebergam prælium non eſſe factum, neque fieri potuiſſe. Quî Witichindus Tennebergæ meminiſſe potuit, quæ nondum fuit condita? quique acies ibi inſtructa dici? cur non potius Waltershuſæ urbis facit mentionem? cur non dicit propè illam pugnam eſſe pugnatam? Conſtat enim arcem hanc poſt Chriſtum natum Sec. X. Conrado II. res Imperii moderante, a Ludovico Barbato ædificari cœptam fuiſſe. His ita ſe habentibus Mſc. Poloni me non permovebit, ut a vocabulo, quod Witichindus ponit: Quod Urſpergenſis repetit: Quod Gobelinus & Crantzius confirmant, temerè diſcedam. Perſvaſum

ſvaſum & exploratum habeo, extra noſtræ Thuringiæ fines, inque Tungrorum regione verſus Rhenum hunc locum eſſe quærendum. Nec deſunt veſtigia quibus indagare me poſſe confido. Sed quò me vertam? num verſus ſuperiorem, an inferiorem Rheni partem, iter ingrediar? fateor equidem, quod inſtar Theſei Labyrinthum quendam mihi intrare videar. At vero Chronologiæ ſubſidio, tanquam Ariadnes filo, haud difficulter inde me expediam. Omnes enim Chronologi tradunt, Francos Galliam, quæ Rheno ſuperiore clauditur, anno Chriſti CCCCC. nondum domuiſſe; & regionem, quæ nunc Franconia dicitur, ſub eundem temporis tractum, non Francis, ſed Alemannis paruiſſe. Itaque per ſe clarum eſt, Francos non ex ſuperiore Rheni parte, ſed inferiore bellum Turingis (Tungris) intuliſſe. Ne autem in loco quærendo errem, ſit mihi inſtar Cynoſuræ Tolbiacum, urbs Franciæ longe celeberrima, & regum veterum ſedes, quam Baudrandus ita deſcribit. *Tolbiacum oppidum ubiorum, nunc Zülich in Ducatu Juliacenſi inſertum, juris tamen Colonienſis, teſtibus Divæo & Cluverio, jacet ad amnem Naſelam, eſtque celebre victoria Clodovæi, primi Francorum regis contra Germanos, anno CCCCIC. diſtat X. millia paſſuum à Colonia Agrippina in Occaſum, uti à Bonna, Aquisgranum verſus.* Itaque per Weſtphaliam iter eſt ingrediendum, cujus incolæ quondam Tungri fuerunt, ut eſt oſtenſum, & in finibus eorum Runiberg inveſtigandum; Münſterus in Tabulis, quibus Ptolomæi Geographiam illuſtrat, ponit flumen, quod propè Duisburgum in Rhenum exit, Ruen, hodie vocatur Ruar inde credo in eo tractu Runiberg inveniri poſſe. Quoniam autem illorum locorum non ſatis gnarus ſum, neque apud recentiores Geographos indagare poſſum, conjecturam meam ſaltem hûc ponam, & ab aliis, qui locorum ſunt periti, informationem expectabo. Eſt ad ruram fluvium Sigeburgum de quo Opitius in Rhythmo de S. Annone ita ſentit: *Sigeburgum (Annalibus Francicis & Reginoni Sigisburgum) ad Ruram, quæ Rheno ad Duisburgum miſcetur, ſitum eſt. Nomen a Sicambris traxit, ut Hubertus Thomas aſſerit commentario de Tungris & Eburonibus, Sigambris verò nomen à flumine ſige quæſitum, haud dubitare ſe dicit Gedani decus Philipp. Cluverius Antiquit. libr. 3. cap. 9.* Verum rectius dici puto hoc oppidum Sigeburgum a victoria quod ibi Tungri (Thuringi) a Francis victi ſunt. Nam vel ibidem eſt Rungburgum, ut ex antiquis tabulis patet: vel Runiburgum in Sigeburgum eſt mutatum.

CAP. IV.

De Unſtruta.

Primò ſcriptores Franci & Germani conferuntur, eorumque diſſenſio in hac materia oſtenditur: Secundo tres fluvios eſſe ejusdem nominis ex Geographis docetur. Tertio ad quem horum Tungri ſeu Thuringi ſint debellati.

REſtant adhuc duo loca Unſtruta & Schidingi: illius & Francici ſcriptores in iſtius belli deſcriptione mentionem faciunt, hujus Saxonicarum rerum compilatores tantùm. Ad Unſtrutam Thuringi ex acie profugi à Francis cæſi, in oppido Schidingi reliquiæ exercitus obſeſſæ, expugnatæ, deletæ à Saxonibus dicuntur. Poſterius ſcriptores Franci ignorant, prius uno ore confirmant. Patet igitur plus Saxonicos dicere autores, quam Francos, qui neque de Saxonibus ſociis, neque de expugnatione oppidi Schidingi, quicquam commemorant: Nec minus in belli eventu, quam in cauſis à Francis diſcrepant, quas quoniam confingunt, quid mirum, ſi de eventu verba facientibus fidem non habemus. Non alienum fore puto, Cranzii in Saxonia verba ſuper hâc re addere: *Ventum eſt inquit, ad ea tempora, quæ hactenus noſtri prima Saxonum putarunt, quibus hoc bellum inter Thuringos & Saxones conſertum eſt, quod, unde ſit ortum, aliter noſtri ac Franci memorant: Utramque ſeriem brevi exequemur. Annus erat poſt natum Chriſtum quingenteſimus, aliquot additis, cum moriens Clodoveus, primus Chriſto fidelis Francorum Rex, quatuor reliquit filios, qui inter ſe regni ditionem, quam pater mirificè ampliavit, ſunt partiti; Concordibus animis quisque in ſuo demorabatur. Thuringis eâ tempeſtate Ermenfridus præerat, qui ſvaſu uxoris Amalbergæ duos fratres, qui regnum affectaſſe dicerentur, Bertharium & Baldericum, necaverat: Id dolentes reges Franciæ, quod eos ſangvine contingerent occiſi juvenes, bellum indixere Thuringo, moventque in hoſtem. Ille dolos ſtruens, qua parte intraturos ſciebat, foſſam quandam aperuit, eamque viridantibus operit ramalibus atque ceſpitibus ea re compertâ reges in hoſtem irritatiores feruntur: occurrentemque prælio vincunt, & fugant, inſeqvunturque fugientem ad fluvium usque Onſtrit: Ibi prælium inſtaurant Thuringi, ex fuga ſubſiſtentes, ſed tanto ſternuntur à Francis ardore, ut ſtragis magnitudo pontem cadaveribus ſtraverit, Francis tranſituris. Ermenfridus tum ex fuga ſe cum paucis in urbem recepit. Unde fide regia evocatus ab Theodorico in Tulbiacum caſtellum, cum ambularent invicem colloquentes, loco præcipiti Theodori-*

doricus ex latere ambulantem, & nil tale formidantem cubito impellens, præcipitio collisit: Regnum, occiſis ejus liberis, in poteſtatem accepit.

Hæc Gallorum commemoratio nulla ex parte Saxones contingit. Aliter autem noſtri rem narrant. Ermenfridi, inquiunt, conjux Amalberga, ſoror erat regum Franciæ: ea per Iringum militem, cui rex multa permiſerat, & cui pene totus incubuerat, (talis enim erat manu & conſilio) regi ſuggerit, Theodorici Metenſium regis ditionem invadat. Quod notho minus quam legitimæ natæ Amalbergæ regnum deberetur, Theodoricus ad Ermenfridum legatos mittens commonefacit, ut regibus Franciæ integritatem fidei conſervet, ſe illi futurum non dominum, ſed amicum: quod regum eſſet ſororius. Tum ſe inſolens mulier occaſionem putat eſſe nactam, quâ mentis ardorem effundat: ſtimulat regem per Iringum militem, ferocius reſpondeat legatis, regnum juſtiori titulo ſibi deberi, per conjugem, quæ nata eſſet, de regina matre, quam Theodorico, qui natales ſuos agnoſceret: Ferebatur enim, ex concubina natus. Secundum hæc verba Ermenfridus prius re in concilio diſcuſſa, cùm omnes paci inclinarent, impares ſe Francorum viribus teſtarentur. Rex inſtinctus ardore mulieris, per militem memoratum legatis reſpondit: Amicitiam & affinitatem regum ſe magni facere: mirari tamen quod Theodoricus ſupra ſe Dominii jus præferat: compertos eſſe natales conjugis ſuæ atque Theodorici, quod illum ſervilis conditio ex matre afficiat: Illam ſtirps regia ex utroque parente condecoret &c. Quo facto, convenere exercitus hoſtiles illo loco, qui dicitur Rumberg: neuter pugnam detrectavit. Illico magnis animis concurſum eſt Extracta eſt noctem pugna. Umbræ dimoverunt prælιantes. Nox caſtris cuſtodes adhibuit. Vix orta luce magno animorum ardore ad pugnam redeunt, certi non cedere: Integri ſauciis ſubmittuntur, & per omnem, quæ longiſſima fuit, diem certamen extrahitur. Tanta utrinque cædes commiſſa eſt, ut incertum pugnantibus eſſet, qua parte ſtaret victoria. Tertia demum lux prodidit, Ermenfridum majori parte copiarum eſſe nudatum, qui perinde ſe provicto gerens, in urbem Chidinga ad amnem Onſtrut fugiens, ſe recepit. Qamvis in hoc conſentiant autores ad Unſtrutam pugnam eſſe pugnatam, & bellum debellatum, nondum tamen certi de loco eſſe poſſumus, ſi unus tantùm fluvius exiſteret, qui id nominis haberet, res ulteriori indagine, non indigeret. At vero ex Geographis tres ejusdem nominis fluvii in diverſis notantur regionibus, quos Meibomius in Notis ad Witichindum indicat: Ejusdem nominis fluvius Haſſiæ campos rigat, ut Georgius Fabricius in Hodæporico Argentoratenſi tradit: Et Chytræus libr. 27. *Saxoniæ: Unſtri meminit apud Saxones Alveldium & Hildeſiam præterlabentis, & prope Sarſted in Leinam ſe exoneran-*

vantis. Tertius eſt Thuringicus, qui in Eichsfeldia regione Moguntinæ ditionis oritur, inter S. Gehülffenberg & S. Katernberg duo millia paſſuum ſupra Mühlhuſium, ex multis fontibus collectus: Inde per campos Thuringiæ leni alveo tranſiens, & utrinque fluviis auctus, haud procul Naumburgo Sala ſe miſcet, Albini Chronica Miſniæ. Horum trium cui contigerit, ſangvine occiſorum inſici non ſatis mihi, neque forſan alii, ſi rem accuratius conſideraverit, liquebit. Sed indignantium voces audire mihi videor: me nodum in ſcirpo quærere, tam manifeſtam, tamque certam rem eſſe integram, quam ſudum eſt, ſole radiis corruſcante, tantum ad Unſtrutam Thuringorum Schidingi caſtrum, cujus occupatione bellum confectum dicatur, eſſe ſitum. Hoc ſicuti negare non poſſum, ita certum eſt Witechindum partim falſa veris miſcere: partim rem Saxonicam, quæ longo poſt tempore facta eſt, cum geſtis Francorum confundere. Quod ad prius attinet, falſum eſt, Clodovæum nullum alium regni heredem reliquiſſe, præter unicam filiam Amelbergam: Falſum eam nupſiſſe Hermenfrido: Falſum eſt, eam facem & tubam Francici belli fuiſſe; Ad ſummam, falſa eſt integra oratio, quam ſuper hac re confinxit: ad poſterius ut veniam, verum eſt Saxones ad Unſtrutam ex Italia reduces cum Svevis, qui eorum regionem occupaverant, & Thuringi vocantur, gravi pugna conflixiſſe. Sed confundit hoc bellum, quod longe poſt geſtum eſt, cum Francorum expeditione, qua Tungrorum regnum deleverunt. Nec alia cauſa confuſionis mihi videtur extitiſſe, quam quod utrumque prælium ad Unſtrutam dicatur conſertum. Hoc ſequenti capite dilucidius demonſtrabo.

CAP. V.
De Schidinga.

Primo agitur de vocis hujus etymologia: Deinde quorum fines diſtinxerit, indicatur: Tandem ubi & ad quem fluvium Schidinga ſita ſit.

MEibomius in Notis ad Witichindum Scheidingam ita deſcribit: *fuit auguſtale olim Baſini Regis Thuringorum, cui Baſina fuit conjunx* & Sagittarius in Antiquitatibus Thur. libr. 2. cap. 12. poſtquam plenius de ea egit, putat tandem, nomen à Germanico Scheiden habere, quod ibi fines inter Saxonum & Francorum terram fuerint conſtitu-

ſtituti. Jam quidem non diſputabo, an ſedes Regia Baſini fuerit, cum ex dictis pateat, quicquid hujusmodi dicitur fictum eſſe, nec examinabo, quantæ vetuſtatis, & à quo conditum ſit, nam ſi vel cum Diogene lucernam accenderem, ad originem inveſtigandam, quæ quaſi Cimmeriis tenebris eſt involuta, non tamen operæ pretium me facturum, ſum perſvaſus. Witichindus quidem Schidingi meminit non aliter, ac ſi jam tum cum bellum illud geſtum fuit, extiterit, idque nominis habuerit. Mihi ſententia Sagittarii probabilis videtur, quatenus à Scheiden i. e. à terminando dici putat. At vero, quando addit, eam arcem, quaſi limitem fuiſſe inter Francos & Saxones, id ſane pernego. Nam nullis certis probari poteſt documentis, Francos ea tempeſtate, Weſtphalos (olim Tungros.) Francosque orientales (olim Alemannos) perdomuiſſe, qui potuerunt limites conſtituere ad Unſtrutam. De hac re ita ſcribit in Antiquitatibus Thuringiæ. *Omnino perſvaſum & exploratum habeo hunc locum Scheidingen fuiſſe appellatum, ab antiquo vocabulo Saxonum* Schid / *quod diviſionem ſignificat, ut perpetua belli memoria conſervetur, quo Saxones & Franci Thuringiæ regnum deleverunt. Nam etſi in hiſtoriarum monumentis, ante ſuſceptam diviſionem hujus loci mentio fiat, veri ſimile tamen eſt, hoc per anticipationem Hiſtoriæ, præſertim ſacræ, non infrequentem fieri.* Sentio itaque Scheidingam eſſe monumentum pacis, quam Saxones reduces cum Svevis novis Colonis inierunt. Nolo ſupra dicta hic repetere, nec tamen poſſum, quin unicum locum Gobelini adjiciam, ubi dicit, Svevos Saxonibus primò tertiam, deinde dimidiam partem obtuliſſe: Et tandem unam tantùm, ſeu tertiam partem regionis occupatæ, retinere voluiſſe. *Cum Saxones*, inquit, *niterentur Svevos expellere, hi pacem appetentes, illis obtulerunt, tertiam partem regionis: Hoc recuſantibus Saxonibus, obtulerunt eis mediam partem: Nec tum Saxonibus contentis, obtulerunt eis duas partes, tertia tantum volentes eſſe contenti &c. Saxonibus hæc omnino recuſantibus, bellum inſtauratur, & cæſa ſunt Saxonum XX. millia & Svevorum VI. millia. Superfuerunt illorum VI. millia, qui voverunt neque barbam neque capillos ſe inciſuros, donec ſe de Svevis vindicarent: Sed iterum victi quieverant, & ſimul cum Svevis habitarunt.* Ex his verbis primò elucet, non tantum diviſionem i. e. eine Scheidung eſſe tentatam, ſed etiam factam: Deinde Witichindus explicari poteſt, & Cranzius de pugnâ ad Scheidingam differentes. Cum Saxones ſemel atque iterũ infeliciter pugnaſſent, ſeſe reliqua VI. millia obſtrinxerunt, jurejurando, non, niſi infamiâ

famiâ abolitâ, quieſcere: Sed victi & fracti, limitibus conſtitutis, arma depoſuerunt. Nam fere his ſimilia Witichindus & Cranzius habent in bello, quod Franci cum Thuringis geſſiſſe dicuntur. Tradunt enim IX. millia Saxonum contra Thuringos veniſſe: Tradunt eos graviter eſſe afflictos: Tradunt tandem ſeniorem uſu peritum & manu ſtrenuum, oratione habitâ, & fugæ turpitudine exaggeratâ, eo compuliſſe eos, ut devoverint ſe, aut vincendo injurias ulciſci, aut honeſta morte oppetere. Hæc hactenus. Jam ad Scheidingam redeo. Duo loci ſunt hoc nomine inſignes: Unus ultra fluvium ſitus eſt, & Burg Scheidingen vulgo dicitur: Alter Kirch-Scheidingen in citeriore ripa viſitur, uterque ab oſtio, quo Unſtruta in Salam ſe exonerat circiter duo millia paſſuum abeſt.

Poſtquam igitur urbes, arces, fluvios expendi, & ſimul oſtendi, quid etiam de Francorum Monumentis in Thuringia ſentiam, credo jam in propatulo eſſe, Regnum Thuringiæ noſtræ ante Svevorum adventum eſſe fictum, nec Francos potuiſſe in Thuringia noſtra bellum gerere. Meam autem ſententiam nemini obtrudam; Sed eam hiſtoriæ bene peritorum, &, quibus facultas eſt, rectè judicandi, cenſuræ ſubmittam, præfatus, me ad certiora, & diſcenda, & audienda, eſſe paratiſſimum. Interim velim ſcias, me non adeò patrii decoris eſſe inimicum, ut regnum & ſceptra ei derogata velim. Quin imò id certioribus argumentis probabo, ita ut cuilibet pateat Regiam Cheruſcorum ſedem, qui Romanas attriverunt vires, mediâ in Thuringia adhuc exiſtere, quod infra plenius exponam.

CAP. VI.

Quædam dubia reſolvuntur.

Primò Beati Rhenani locus examinatur: Deinde refutatur argumentum, quod Sagittarius ex Fortunato profert.

ANtequam ad tertiam partem tranſeo, quædam dubia, quamvis feſtinantem, me remorantur, quæ Beatus Rhenanus in Inſtitutionibus Rerum Germanicarum movet, *dum, bona pars,* inquit, *Cheruſcorum cum Alemannis diſceſſerat, itaque in horum ſedes Toringi & Miſni immigrarunt, populi ſeptentrionalis illius Germaniæ. Sanè Toringorum Apollinaris meminit inter gentes, quæ ſunt Attilam ſecutæ, Chunnus, Bellonotus, Neurus, Baſtarna,*

ſtarna, Toringus. Equos Toringos commendat Vegetius in opere de Medicina Veterinaria. Scribit enim equos tribus uſibus eſſe neceſſarios, præliis videlicet, circo & ſellis, id eſt, vectioni. Atque equorum Hunnicorum primam utilitatem eſſe ad bellum, propter patientiam laboris. Toringos & Burgundiones equos ad bellum, aptos ob injuriarum tolerantiam. Unde appareat, fuiſſe eos, dum in avitis ſedibus degerent, Conſtantinopoli notiores, ubi Vegetius librum illum conſcripſit, quantum conjicio. Reperio Toringos Longobardis fuiſſe vicinos & affines. Theodoricus Gothorum Rex ſororis ſuæ neptem Amalbergam Hermenfrido Toringorum Regi in matrimonium collocavit. Extant in variis Caſſiodori ſcriptæ ad Hermenfridum epiſtolæ nomine Theodori Gothorum principis. Huc adde quod Franci etſi feliciſſimi ſemper bellatores, multam tamen ſudoris exhauſerint, in ſubjugandis Toringis.

Dum neminem in conſortium Galliarum regni admittere volunt. Quamvis autor ipſe aſſerat, ſe his verbis Toringorum præſtantiam velle demonſtrare, attamen tacitè nihil aliud agere videtur, quam ut antiquitatem confirmet. Omnes enim autores prius in vivis eſſe deſierunt, quam Svevi Saxoniam petiverunt. Sicuti autem ſupra oſtendi, Svevos hos eſſe Thuringos, nec ante eos Thuringorum nomen media in Germaniâ cognitum fuiſſe; Ita his autoritatibus nihil aliud probatur, quam Thuringos fuiſſe & extitiſſe, quod nemo negat: Sed in hoc omnis controverſiæ cardo vertitur, ubi locorum ante quingenteſimum & quinquageſimum annum poſt C. N. habitaverint, quamque regionem incoluerint & quando in eam terram, quam nunc tenent, habitatum conceſſerint. Beatus Rhenanus in ipſis verbis ſuis haud obſcurè indicat habitationis locum, (1.) conjungit Burgundiones & Thuringos, quos Procopius etiam conjungit uti ex ſupra citatis conſtat verbis (2.) aſſerit Francos eos in conſortium regni Galliarum admittere noluiſſe, quod de Thuringis, quos Witichindus deſcribit, non eſt intelligendum, quippe qui longè à Galliarum regno & conſortio abfuerunt. Huc accedit, quod expreſſis verbis eos Turonenſis ponat ultra Rheni littora, vide ſuprà cap. 2. Partis II. omnes igitur vehementer errant, qui Salam inter & Vierram ſedem antiquam iis aſſignant. Nam hoc figmento veritas totius hiſtoriæ, quæ res Germaniæ exponit, convellitur. Aſt hic Sagittarius novo inſurgit argumento, & quoniam pro ſtabili & firmo habet, paginas multas eo implet. Carmen quod Venantius Fortunatus Pictavienſis Epiſcopus

pus & poeta maximè inſignis, quique ſub exitum V. ſeculi floruit, edidit, quodque de excidio Thuringiæ agit, totum Antiquitatibus ſuis Regni Thuringici inſeruit, cujus tale eſt initium.

Conditio belli triſtis, ſors invida rerum,
Quam ſubito lapſu regna ſuperba cadunt.
Non jam ſola ſuas lamentet Troja ruinas:
Pertulit & cædes terra Toringa pares &c.

Communis eſt opinio, hoc carmen, Radegundis dolorem levandi ergò, eum compoſuiſſe, quæ, patre Berthario occiſo, & Thoringis devictis, a Clothario fratre Theodorici captiva fuerat abducta; atque in matrimonium recepta. Ita enim Sigebertus Gemblacenſis ad annum DXXIV. Captivam inter alios Radegundem filiam Bertharii regis, olim a fratre Hermenfrido peremti, Clotharius Rex ſuo ſociavit matrimonio. Verum ſicuti ſuprà abundè oſtendi, ſæpè Thuringos pro Tungris poni, ita hic Gemblacenſis res Tungrorum & Toringorum confundit, quæ tamen ſunt diverſisſimæ. Non nego Bertharium fratrem Hermenfridi fuiſſe, Regis Tungrorum, & ab illo vita privatum: Radegundis autem non ejus fuit filia, ſed Thuringorum Regis, nomine Britharii, qui tùm ad Moſellam habitarunt, & a Clothario fuerunt ſuperati, & in Saxonum terram ſunt translati. Hoc ita ſe habere, ex Boethio Wlfino Epiſcopo diſcere poſſumus, quem Sagittarius pro ſuâ ſententiâ in teſtimonium citat. Dicit enim ille in vita Juniani Confeſſoris ad Godolenum Abbatem. Britharius Radegundis pater fuit, & Clotharius nobiliſſimam gentem Toringorum armis devicit. Sed poſterius non placet Sagittario, quod putat non Clotharium, ſed Theodoricum Toringorum gentem ſubegiſſe. Verùm tota hiſtoria conciliari poteſt, ſi dicatur Theodoricum Tungros, Clotharium Toringos ſuperaſſe, & prædæ loco Radegundem raptam, matrimonio ſibi junxiſſe. Quo facto, Clotharius poſtea devictos Toringos, in Saxonum terram tranſtulit, ne inpoſterum moleſti ipſi eſſe, & bellum renovare poſſent. Hoc patet ex Gotfridi Viterbienſis, quæ ſuprà p. 24. poſui. Cetera, quæ Sagittarius addit, quoniam hûc non pertinent, prætermitto.

PARS

PARS TERTIA.

Diſſertationis

De præcipuis belli iſtius Ducibus & eorum monumentis.

CAP. I.

Arminii Vita & Genealogia.

POſtquam de Victoria Cheruſcorum, & monumentis Romanorum in Thuringia, ſatis copioſè diximus: Nec non de fictis Francorum in eâ antiquitatibus, jam de Ducibus copiarum agam, & imprimis de Arminio, cui omnes autores principatum tribuunt. Cluverius, ubi in Antiquit. German. Genealogiam Arminii recenſet, patruum ejus notat, at patrem omittit, tanquam nomen ejus ignoraretur. Noſtrâ ſane parum refert, queis parentibus ſit editus. Boni ſaporis fructus non ſpernimus, etſi nos fugiat, quæ arbor eas protulerit: Et ferocem eqvum magni æſtimamus, quamvis ignoremus, quo procreatus ſit equo. Tanta eſt factorum Arminii fama & gloria, ut non habeat neceſſe, a parentibus nomini ſuo mutuari ſplendorem. Quem præterit, quod Horatius libr. IV. od. 4. Canit. fortes creantur fortibus, eſt in juvencis, eſt in equis patrum virtus: Nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Itaque nolumus nimis anxiè in originem ejus inquirere, aut qui parentes ejus fuerint. Nam maximorum fluminum, quæ ingenti in mare volvuntur aquarum copiâ, fontes ſæpè latent: Nec credo, quemquam tam ſtolidâ ſciendi teneri cupiditate, ut iter facturus, a flumine quod ſuperet, neceſſe eſt, ad ſcaturiginem recurrere, quam progredi mallet. Sequar igitur potius Cluverium, & ignorantiam meam apertè fatebor. Nam etſi Vellejus Paterculus libr. II, cap. 118. patris nomen habeat, & Arminium Si-

gimeri, principis gentis ejus, filium dicat, non tamen cognitum habeo, quid egerit, ubi locorum habitaverit, quantæque autoritatis fuerit. Ut autem Arminii familiam rectius intelligas, Genealogiam ſubjiciam: primo ejus, deinde uxoris.

Arminii Genealogia.

N. Cheruſcus.

- Ingviomarus Cheruſcorum Princeps
- Sigimerus Cheruſcorum Princeps
  - Arminius Dux & Rex Cheruſcorum uxor ejus Thusnelda
    - Thumelicus captivus.
  - Flavius transfuga uxor fuit Cattorum Principis Acrumeri filia
    - Italus Rex Cheruſcorum.

Thusneldæ Genealogia.

N. Cheruſcus.

- Segeſtes Cheruſcorum Princeps
  - Segimundus Sacerdos & Princeps Cheruſcorum.
  - Thusnelda uxor Arminii.
- Sigimerus Cheruſcorum Princeps
  - Seſithacus uxor ejus fuit Rhamis Acrumeri Cattorum Principis filia.

De pueritia ejus nihil habeo dicere: Veriſimile tamen videtur, ab ineunte ætate, ſtatim equitando, currendo, natando eum ſe exercuiſſe, & ludicris certaminibus ad veras pugnas proluſiſſe. An vero prima militiæ rudimenta in patria, an apud Romanos depoſuerit in incerto eſt. Hoc Tacitus memoriæ prodit, quod ſtipendia in Romanorum caſtris meruerit, & ſimul artes bellandi didicerit. Nec caſu hoc aut for-

fortuitò accidit: Sed fata eum ad majora præparare volebant. Qui domi ſuæ latet, & exterarum nationum mores ignorat, non utilis admodum miles evadere poterit. In confeſſo eſt, neminem hoſtem Romanos graviorem paſſos, quam qui artes eorum bellandi imbiberat. Jugurtha ad Numantiam in caſtris Scipionis, tantum profecerat, ut maximis poſtea imperatoribus negocium faceſſeret; imo Romæ ipſi terrorem incuteret. Sic Arminius optimis artibus inſtructus, in patriam cum rediſſet, omnes curas, cogitationes, opes, conſilia eò conferebat, ut majorum decus augeret, fines proferret, & libertatem illibatam conſervaret. Verum quò magis patriæ ſtudebat, eò indignius ferebat, Romanos id moliri, ut illi ſervitutis jugum imponant. Itaque convocatis principibus, & fœdere percuſſo, pulcerrimum opus eſt aggreſſus. Societatem autem iniiſſe dicuntur, Libes Cattorum Sacerdos, Segimundus Segeſtis filius, Veromarus Cattus, Egimarus vel Sigimerus & filius Seſithacus Cheruſci, Berthorides frater Melonis, (qui Lollium paullò ante vicerat) cum filio Theodorico Sicamber. Inter tot heroes, quorum ſinguli ſummæ imperii præeſſe potuiſſent, maximè Arminius, & animi & corporis robore eminebat, ut non dubitarent ceteri, ejus ductum & auſpicia ſequi. Tot enim ſuæ prudentiæ & fortitudinis experimenta dederat, ut omnes bene de eo ſperarent. Bona indoles maturè ſe prodit: non multum auxilii ab iis poteſt expectari, qui non vigoris ſui, dum ætas adhuc immatura eſt, produnt documenta. Alexander & Hannibal, quorum facta nulla delebit oblivio, admodum adoleſcentuli magna ſpirarunt. Noſter Arminius nondum XXV. ætatis compleverat annum, cum patriæ ſalus & libertas iſtius fidei & virtuti crederetur. O admirandam virtutem! O indolem incomparabilem! multum ei populares confidebant: At verò eventus ſpem ſuperabat. Optaverant, libertas ut incolumis, & penates illæſi permanerent: Sed Ducis dexteritas optatis plus efficiebat. Romani ſervitutem impoſituri, bello victi, jugum metuebant. Ne cui magnificentiùs, quam veriùs videar dicere, pro me verba Vellejus faciat. *Tum juvenis genere nobilis, manu fortis, ſenſu celer, ultra barbarum promtus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis ejus filius, ardorem animi vultu oculisque præferens, aſſiduus noſtræ militiæ prioris comes, & jam Romanæ civitatis jus & equeſtrem conſecutus gradum, ſegnitia noſtri Ducis in occaſionem ſceleris uſus eſt, haud imprudenter ſpeculatus, neminem celerius vinci &*

opprimi, quam qui nihil timeret, & frequentiſſimum eſſe calamitatis initium, ſecuritatem. Qvin imò eo deſperationis adegit Auguſtum, ut poſtquam de clade accepit, non tantum urbis portas claudi juſſerit; Sed etiam clamaverit, capillum vellicans, & barbam: Vare redde legiones. Sed ſicuti ſemper magnæ fortunæ invidia eſt comes; ita non defuerunt, qui hanc ei inviderent: Imprimis Segeſtes eò usque eſt progreſſus, ut filiam tantâ fortunâ dignam, petenti non tantum abnueret; ſed etiam raptam, Romanis copiis repeteret, & receptam in hoſtili carcere interire, quàm ſummæ majeſtatis participem videre mallet. Hæc contumelia, quamvis altius in pectus diſcenderet, non tamen eum frangebat, quin omnes potius cogitationes, vires, opes in ultionem intenderet. Omninò forti viro nil gravius accidere poteſt, quam ſi progeniem ſuam, quam habet cariſſimam, hoſtibus eſſe ludibrio videat. Arminius non fœminarum more, quæ tantum lacrymas in rebus turbidis fundunt, dolorem ſuum ſolatur: Alia habet remedia, quibus mœſtitiam levare poteſt. Si hic caſus alii uſu veniſſet, armis abjectis, pacem petiiſſet, ut uxorem, ut filium reciperet. At hic malis non debilitatur, ſed ira incenſus, velut leæna raptores perſequitur & explorat, exploratosque invadit, lacerat, occidit. Interea Roma, olim Regina gentium, & Domina, contemtum verita, omnes vires, Duce Germanico, in Cheruſcos convertit, ſed plus valuit indignatio, quam pudor. Germanicus victus & fugatus, præter vulnera nihil retulit. Unica jam ſpes in Maraboduo, Svevorum Rege, ſupererat, quem ſicuti invidia armaverat, ita omnis fortuna, bono viro digna, eum deſtituebat. Hinc prælio conſerto, victus, & regno exutus, invictæ fortitudinis hoſti ferebat teſtimonium. Poſtea quam omnia Romani erant experti, inimici ſvadebant, inſidiis eſſe tollendum: Imprimis operam ſuam pollicitus fertur Adgandeſtrius, Cattorum dux; Præſertim ſi Roma præſentiſſimum ipſi venenum mitteretur. Tacitus quidem dicit Senatum id conſilii, tanquam inhoneſtum, contemſiſſe. Sed eventus nihilominus eum ſuſpicione non liberat. Cadit optimus Princeps, non armis, non bello; ſed fraude, ſed inſidiis inimicorum, qui, ſi diuturnior ipſi vita contigiſſet, non Romæ ſolum, ſed univerſo orbi jugum impoſuiſſet.

CAP.

CAP. II.

Armini Hiſtoria in Schemate.

Quod fabula XVIII. Libr. IV. Metamorphoſeos Ovidii ſuppeditat.

Argumentum.

Perſeus per Æthiopiam iter faciens, poſtquam Andromedam, propter ſuperbiam matris, quæ ſe Nereidum pulcritudini prætulerat, ſaxo alligatam ac marinæ belluæ objectam vidit, captus ſpecie ejus, exarſit, pactusque a Cepheo & Caſſiopea, virginis parentibus, ut ſibi eam matrimonio jungerent, ſi belluam interemiſſet, voti compos factus eſt. Interfecto igitur monſtro cum conjugiale feſtum cum ſponſa celebraret, cui principes gentis intererant, Phineus, cui Andromeda, antequam belluæ objiceretur, deſponſata fuerat, contumeliam ſibi fieri ratus, quod peregrino, ſangvine junctus, poſtponeretur, veſcentium animos horrendo tumultu confudit. Sed Perſeus Phineo perculſo & ſociis ejus occiſis incolumem ſponſam & à monſtro & rivali ſervavit.

Imme-

IMmeritam quondam (1) maternæ pendere lingvæ
(2) Andromedam pœnas (3) injuſtus juſſerat Ammon.
Quam ſimul ad duras religatam brachia cautes
Vidit (4) Abantiades, niſi quod levis aura capillos
Moverat, & lepido manabant lumina (5) fletu
(6) Marmoreum ratus eſſet opus (7) trahit inſcius ignes,
Et ſtupet, & viſæ correptus imagine formæ,
Penè ſuas quatere eſt oblitus in aere pennas.
Ut ſtetit, o dixit non iſtis digna (8) catenis;
Sed quibus inter ſe cupidi junguntur amantes:
Pande requirenti nomen terræque tuumque:
Et cur vincla geras. Primò ſilet illa, nec audet
Appellare virum virgo, manibusque modeſtos
Celaſſet vultus; ſi non religata fuiſſet.
Lumina, quod potuit, lacrymis implevit obortis.

Sæpi-

Notæ.

(1) Avitæ. Strabo Libr. VII. tradit Celtas ſeu Germanos ad Alexandrum veniſſe (Nam olim omnes populi verſus ſeptem triones habitantes, uno nomine Celtæ vocabantur) amicitiam cum eo juncturos. Hos cum clementer excepiſſet, interrogavit quid potiſſimum timerent, eosque reſpondiſſe, nil niſi, ne quando cœlum in ſe rueret. (2) virorum imperatrix. Diſcendit enim ab ἀνὴρ vir & μέδω impero, diciturque Andromeda quaſi ἀνδρῶν μέδη. Per hanc autem intelligitur Germania, ſeu potius libertas Germaniæ. (3) Ideo Juppiter ſeu Ammon injuſtus dicitur, quod Celtarum vocem ſiniſtrè acceperat. Nam hærebat adhuc recenti memoria, filiorum terræ facinus, quo cœlum aggredi, ſeque & reliquos Deos ex eo deturbare auſi fuerant: Et quantum periculi adierint, quantumque dedecoris inde contraxerint. vid. Metamorph. lib. V. fab. 4. Ubi Ovidius refert, omnes Deos formas mutaſſe, ne à Gigantibus agnoſcerentur, & imprimis Jovem arietis induiſſe formam, unde canit Poeta. Nunc quoque formatus Lybis eſt cum cornibus Ammon: Per contemtum igitur hic Naſo eum vocat Ammonem, fugæ & metus turpitudinem obliquè improperaturus. (4) i. e. Arminius, ſi Græcam vocem ſpectes, ſignificat idem ac ex ſomno reſurgens: Nam ἀβάνλαπν aſcenſum, & ἰάδω dormio Latini interpretantur. (5) Deflebat virginitatem ſuam libertas, quam adhuc illibitatam conſervaverat. (6) Quod libertas Germanorum nunquam erat vitiata, aut maculata. (7) Forti viro nihil eſt antiquius, nihil charius libertate, imò pro illa vitæ periculum adire non dubitat. (8) Vincula non unius ejusdemq; generis ſunt: Aliis inviti ligantur. Aliis amantes, & volentes, quæ adamante ſunt firmiora. Arminius igitnr, qui à pueris libertatis nomen celebrari audierat, adultior factus, adeo ejus ſpecie accendebatur, ut libertatem habere, quam vitâ frui mallet. Hinc cum videret, alium eam tanquam captivam vincire catenis audere, adeo exarſit ira, ut ſibi temperare non poſſet, quin armis correptis, eam ab injuria vindicaret.

Sæpius inſtanti, ſua ne delicta fateri
Nolle videretur, nomen terræque ſuumque,
Quantaque maternæ fuerit fiducia formæ
Indicat. Et nondum memoratis omnibus, unda
Inſonuit, veniens immenſo (9) bellua ponto
Imminet: Et latum ſub pectore poſſidet (10) æquor.
Conclamat virgo: (11) genitor lugubris, & unà
Mater adeſt, ambo miſeri, ſed juſtius illa:
Nec ſecum auxilium, ſed dignos tempore fletus,
Plangoremque ferunt, vinctoque in pectore adhærent.
Tunc ſic hoſpes ait, (12) lacrymarum longa manere
Tempora vos poterunt: ad opem brevis hora ferendam
Hanc ego ſi peterem (13) Perſeus, (14) Jove natus, & illa,
Quam clauſam implevit fœcundo Juppiter auro,
(15) Præferrer cunctis certè gener: Addere tantis
Dotibus & meritum, (faveant modo Numina) tento:
Ut mea ſit, ſervata mea virtute, paciſcor.
Accipiunt legem (quis enim dubitaret?) & orant,
Promittuntque ſuper regnum dotale parentes.
(16) Utque Jovis præpes vacuo cum vidit in arvo,
Præbentem Phœbo liventia terga, Draconem,
Occupat averſum, neu ſæva retorqueat ora,
Sqvamigeris avidos figit cervicibus ungues:
Sic celeri miſſus, præceps per inane volatu
Terga feræ preſſit, dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo.

Vul-

Notæ.

(9) Exercitus Romanus, Duce Varo, libertatem Germanorum oppreſſurus (10) omnino latum æquor i. e. terram latam ſub ſe bellua continebat. Nam Aſiæ & Africæ magnam partem poſſidebant Romani, & jam Germaniam opprimere geſtiebant (11) i. e. Viri & matronæ Germanorum (12) cum Germani ſuam conditionem deplorarent, Arminius dixit: fruſtra eſſe querelas & lacrymas: Mulieres miſeriam deflere: Viros autem injurias ulciſci. Tùm admonuit, ne à fortuna datam occaſionem dimitterent. (13) Hanc libertatem, quæ in periculo extremo eſt, ſi ab hoſte vindicarem, non dubito, à vobis mihi quin concedatur. Sum enim Germanus & Deorum ſtirpe genitus. (14) Tuiſcone Germanorum Deo & autore. (15) Arminius. (16) Merito à vobis regnum mihi traderetur imò peto, ſi mea virtute conſervata fuerit, ut curæ meæ mandetur. (17) Vide ſupra hiſtoriam Dionis, ubi quod hic per allegoriam, ibi propriis dicitur verbis.

Vulnere læſa gravi, ſe bellua more ferocis
Verſat apri, quem turba canum circumſona terret.
Ille avidos morſus velocibus effugit alis:
Quoque patent nunc terga, cavis ſuper obſita conchis:
Nunc laterum coſtas, nunc quà tenuiſſima cauda
Deſinit in piſcem, falcato vulnerat enſe.
Bellua puniceo miſtos cum ſangvine fluctus
Ore vomit, maduere graves aſpergine pennæ: (18)
Nec bibulis ultrà Perſeus talaribus auſus
Credere, conſpexit ſcopulos, quos occupat, illis
Innixus, rupisque tenens juga prima ſiniſtræ,
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
(19) Littora cum plauſu clamor, ſuperasque Deorum
Implevére domos. Gaudent, generumque ſalutant,
Auxiliumque domus ſervatoremque fatentur,
Casſiope Cepheusque pater. Reſoluta catenis
Incedit virgo (20) pretiumque & cauſa laboris.
Primus in his (21) Phineus belli temerarius autor,
Fraxineam quatiens æratæ cuſpidis haſtam;
En, ait, en adſum præreptæ conjugis ultor:
Nec mihi te pennæ; nec falſum verſus in aurum,
Juppiter eripiet. Conanti mittere (22) Cepheus,
Quid exclamat? quæ te (23) Germane furentem,
Mens agit in facinus? meritis ne hæc gratia tantis
Redditur? hâc vitam ſervatam dote rependis?
Quam tibi non Perſeus, verum ſi quæris, ademit
Sed grave Nereidum Numen: ſed Corniger Ammon:
Sed quæ viſceribus veniebat bellua Ponti,
Exſaturanda meis. (24) Illo tibi tempore rapta eſt,

Quo

Notæ.

(18) Veſtes Arminii. (19) Epinicium Germanorum. (20) Libertas enim cauſa Arminiæ laboris fuerat, & præmium. (21) Segeſtes ſeu Maroboduus, gloriæ Arminii invidens. (22) Cepheus i. e. Proceres Germaniæ. (23) Exprobrant Germanum tàm ſtolidum eſſe, ut malit libertatem ejus peremtam, quem in thalamo, ſeu Arminii vindicis aula videre. (24.) Si tanti æſtimabas Germaniæ libertatem, cur non ibas vidicatum, cum in maximo verſaretur periculo.

Quo peritura fuit. Niſi ſi crudelis id ipſum
Exigis, ut pereat, luctu levabere noſtro.
Scilicet haud ſatis eſt (25) quod, te ſpectante, revincta eſt:
Et nullam quod opem patruus ſponſusve tuliſti:
Inſuper à quoquam, quod ſit ſervata, dolebis,
Præmia que eripies? quæ ſi tibi magna videntur,
Ex illis ſcopulis, ubi erant affixa petiſſes:
Nunc ſine, qui petiit, per quem hæc non orba ſenectus,
Ferre, quod & meritis, & voce eſt pactus, eumque
Non tibi, ſed certæ prælatum intellige morti.

Notæ.

(25) Quantum in te fuit, prodidiſſes magis, quam ſervaſſes. Et nunc doles, quod ingratiis tuis ſit ſervata.

CAP. III.

Arminii laus in Dramate.

Primo queritur Arminius de Minois judicio, quod in fortibus viris ſe non poſuerit: Deinde eos, quibus laudem præſtatiſſimæ virtutis dederat, Minos convocari jubet: Tandem judicium ejus reformatum exponitur.

ULricus de Hutten, vir ingenio incomparabilis, nec non generis, & patriæ decus immortale, Arminium, apud Minoa inducit querentem, quod, judicio de excellentisſimis Ducibus habito, ſe præterierit, nec ſibi locum inter fortes asſignaverit.

Arminius, inquit, judicio comperto, à Minoe petebat, ut aut ſententiam retractet, aut ſaltem ſe, cauſam dicentem, æquo & judice digno, audire velit animo. Quo impetrato, Mercurius Deorum nuncius mittitur, ut tres Heroas, qui non ita pridem, de fortitudinis prærogativa contenderant, ad judicium revocaret: Germanum enim veniſſe, qui cunctis palmam auderet reddere dubiam. Hoc cum Alexander, Scipio, & Hannibal, perciperent, primò in cachinum ſolvebantur, quod tam ignobilis gentis homo, ſecum ſuſtineret certare: Mox tamen Alexandro occurrit, quod ex Celtis audierat, ſe nihil timere, quàm, ne cœlum in ſe ruat. Interim geſtarum rerum fiducia ferox, cum Scipione & Hannibale ad judicem redit. Ubi, multis aliis præſentibus, in hunc maximè modum locutus eſt Arminius. Niſi cognitum

haberem, & exploratum, me coràm judice dicere, qui juſtitia pariter, & juris cognitione eſt inſignis, quin imò ſuper æthera notus, ſatius exiſtimarem, omnino tacere, quam inutiliter verba conſumere. Nam ubi in judiciis, gratia aut potentia valet, veritas emergere non poteſt, ſi vel optimis coloribus exornata prodeat.

Ego vero patrii decoris non degener, ſemper pluris virtutis quàm lingvæ palmam æſtimavi, & nunc etiam armis quam verbis contendere præoptarem, quia à pueris Germani non inſtituuntur, ut in foro, in concione benedicere, ſed ut fortiter facere, ſigna ſequi, ordines ſervare, pugnam mutare diſcant. Hinc & ego quaſi ab incunabulis in armis verſatus, tantum & arte & diſciplina bellandi profeci, quantum nemo meorum æqualium. Omnes me ſuſpiciebant, & in me unum omnium oculi erant converſi, quando in publicum prodibam, juniores, agmine facto, me ſequebantur, & cum vix annos pubertatis eſſem egreſſus, meis auſpiciis dimicare gaudebant, deinde interjecto tempore, cum virtus mea exteris innotuiſſet, Romani me ad belli ſocietatem, quod cum Sicambris gerebant, multis invitabant promiſſis. Ego ut juvenilis ætas laudis eſt cupida, oblatam occaſionem virtutis oſtendendæ, cupidè arripiebam, non parva manu ſtipatus, in ſubſidium veniebam, & ubi pugna conſerebatur, inter confertiſſimos dimicando, ſocios incendebam. Verum cum animadverterem, Patriæ libertatem, ad hoc usque tempus illibatum inſidioſe peti, adeo indignitate rei commovebar, ut conſilio cum proceribus inito, omnes & ſingulos rogarem & obteſtarer, ne tantam, tamque turpem injuriam inultam ferrent. Et quamvis nonnulli difficultatem rei oſtenderent quod copiæ contrahi non poſſent. Ego paucis at fortibus viris pulcerrimam rem ſum aggreſſus, & patriis diis faventibus, hoſtes cum Duce occidione cecidi, patriam liberavi, Romanis tantum terrorem injeci, ut de ſalute deſperarent. Nemo dubitat, ſi gloriæ avidus fuiſſem, mihi, imperium opibus maximum, regionibus immenſum, & tot ſeculis totque victoriis confirmatum, evertere in proclivi fuiſſe. Non ita multo poſt cum Germanicus, quem vocant, ingenti exercitu cladis delendæ ergo in Germaniam veniret, nova clade adjecta, inglorium remiſi. Tam inſignis tandem victoriis evaſi, ut & finitimis regionibus terrori eſſem, Moroboduum ut decuit, ultus ſum ab Adgandeſtrio Cattorum Principe, niſi fata obſti-

tiſſent

tiſſent invidiæ pœnas expetiſſem. Itaque fraude non armis cecidi, major Alexandro futurus, ſi diuturnior mihi vita contigiſſet. Viros enim jam domueram, & expeditio adhuc in fœminas ſupereat, Alexandro autem victis fœminis, gravior pugna cum Europæis erat ſubeunda. Sed quid multus ſum in manifeſta re demonſtranda, adeſt hîc præſto Tacitus. Vir adeo veritatis ſtudioſus, ut nec hoſtium virtutes, nec civium vitia tacuerit, hunc juſtiſſime judex ſi meis verbis non fidem habes, audias vehementer cupio. Poſtquam dicendi finem fecerat Arminius, Minos Tacitum blande compellatum indicare jusſit, quid de Germano ſentiret, & an ſummis comparari poſſit Imperatoribus. Tum ita orſus eſt. Scio equidem me à civibus & Scipione, quem præſentem hic vides gratiam non initurum, ſi hoſti quid laudis tribuam, interim non poſſum, poſtquam ſemel me hiſtoricum ſum profeſſus, quin ſine gratia & odio, quæ procul habeo, cuncta referam.

Ne autem quid addam aut minuam mecum habeo annales, quos non ita pridem compoſui, ex iis, ſi pace eorum, qui præſto ſunt, fieri poteſt; quæ ſit & fuerit mea ſententia, prælegam, id cum Minoi placuiſſet, hæc verba recitabat: Arminius, abſcedentibus Romanis, & pulſo Moroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium adverſam habuit: petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit: liberator haut dubiè Germaniæ, & qui non primordia populi Romani ſicut alii reges ducesque! ſed florentisſimum imperium lacesſierit: præliis ambiguus bello non victus. Septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit: canitur adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui ſua tantùm mirantur: Romanis haut perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incurioſi.! His auditis Alexander, cujus alioquin potens non erat, ira accenſus, ita exclamabent. Sed heus Armini! anne ſervilis tuæ conditionis plane es oblitus. Nonne apud Romanos ſtipendia meruiſti, quæ eſt ea tandem temeritas, quod te ſupra ſortem efferre nitaris. Ego Regia aula ſum natus, educatusque nec unquam ullus imperata feci, ſed ſemper aliis dedi. *Quemadmodum multa, brevitati ſtudens, ex Arminio Hutteni omiſi, & in eo multa mutavi; ita reliqua, quæ ſeqvuntur de meo addidi.* Jamque non leves Arminius conceperat ignes. At Minos gloriæ Alexandri metuens, quod Germanus gladium ſtrictu-

rus videbatur, utrumque jurgiis abſtinere jusſit. Ne vero hic debitis fraudaretur laudibus, ad Taciti de eo verba per orbem terrarum, & ſuper æthera divulganda, Famam ablegavit. Quin imo, Mercurio interprete, Apollinem monuit, quosdam juvenes artibus pariter, atque ingenio ornare, qui copioſe, qui ſplendide, qui eleganter tanti viri merita celebrare poſſent. Quo facto, concilium dimiſit. Apollo autem non immemor mandati, duos ingenio præſtantes juvenes, Muſis commendavit, ut in Parnaſſo, in ſuo conſortio eos educarent, & indolem labraque eorum diligenter fonte caballino proluerent. Quo facto, & cum jam utrumque lauru ſuâ eſſet dignatus Apollo, qua Poëtas exornare conſvevit, Ulricum de Hutten Franconiæ nobilitatis ornamentum (nam hoc nomen alteri erat) negotium dedit, ut ſermone latino doceret, Arminium Alexandro, Scipioni, Hannibali virtutis gloria non eſſe poſtponendum. At vero Danielem Caſparum de Lohenſtein Sileſiacæ nobilitatis decus, & patriæ lingvæ potentem, vernaculo quidem ſermone, at ſtylo & ſententiis tanto Heroe dignis, ejus hiſtoriam conſignare jusſit. Quod uterque ita præſtitit, ut nihil elegantius, nihil lepidius, nihil amœnius posſit inveniri. Legitur itaque Arminius in toto terrarum orbe, & dum homines erunt legetur.

Cap. IV.

De Arnſtadio, Arminii Sede Regia.

Primò negatur Harmiensburg ſedem ejus fuiſſe: Deinde rationes ponuntur cur in Thuringia ea quærenda ſit. Tertio refutatur opinio Arnſtadium à Meroveo Rege Francorum conditum.

QUi ſentiunt cladem illam cruentam, quâ Romani tres legiones cum Duco Varo amiſerunt, haud procul Luppia fluvio contigiſſe, uno etiam ore affirmant, ſedem Arminii Regiam fuiſſe in Weſtphalia & quidem Harmiensburg, ut Waſſerbach de Irminſula eam vocat. Verum quemadmodum in aliis, præſertim quod ad locum pugnæ attinet, eorum ſententiam, ſalva pietate & veritate, amplecti non potui; Ita peto, ne ægrè nimis ferant, quod ſedem quoque eis ereptum eam. Nam nihil invidiâ aut irâ commotus, aſſero: Sed Apollo ſemper mihi aurem vellicat, admonens, cur alienam regionem, alienam gentem diutius patriæ tuæ laude ſuperbire pateris? oſten-

oſtendi tibi monumenta, tam manifeſta, tam aperta, tam certa, quibus locum pugnæ indagare potuiſti: Age ulterius inveſtiga. Memineris, Cheruſcos terram intra Viſurgim & Albim, quam nunc Saxones & Thuringi incolunt poſſediſſe, quomodo igitur, Dux in peregrina regione, & à popularibus remota, ſedem habuit. Fac, ut liberalis ſim, Cheruſcorum ultra Viſurgim excurriſſe regionem, anne ſtatim ſequitur: Ergo Arminius in principio habitavit, quemadmodum ante ſigna pugnavit? His inſtigatus, in terra Cheruſcorum media, quæ Albi & Viſurgi alluitur, ſcrutatus ſum, an veſtigium invenire poſſem. Et ecce oppidum, antiquitate inſigne, loco vicinum, Comitum ſede illuſtre occurrebat, quod ſicuti hoc decore non eſt indignum, ita aliis judicium permittam, an non immerito eo ſit privatum. Non me fugit, viros eruditione & fama præſtantes, in eo elaboraviſſe, ut originem Arnſtadii, ex antiquitatis eruerent tenebris. Verum cum invitâ Minervâ hoc ſuſceperint opus, à vera origine hactenus omnes aberrarunt. Spangenbergius in Chronica Sax: ab Ariis, Sileſiaco populo, conditum, & appellatum fuiſſe, alii & recentiores ab Arn dictum, autumant: i. e. ab aquilis, quod ingens ibi copia aquilarum nidificaviſſent. Id confirmare conantur, ex caſtris, quæ non procul Arnſtadio abſunt, & vel ab avibus, vel inſectis nomen accepiſſe, dicuntur e. g. Kranichfeld & Keſernburg. id â gruibus, hoc â ſcarabæis derivant. At vero ſicuti prioris caſtri originem indagare nolo, ita certus ſum, poſterioris etymologiam aliunde eſſe petendam, quod etiam docere poſſem, niſi hanc materiam futuræ diſſertationi reſervarem. Ut autem ad rem veniam, de qua nunc mihi ſermo eſt, non dubito negare, Arnſtadium ab aquilis appellari. Nam quamvis negare non poſſum, aquilas plures in Germaniæ ſilvis latuiſſe, (nam hoc Tacitus claris indicat verbis) neſcio tamen an bene ſentiant, qui Arnſtadium ab illis dictum arbitrantur. Compertum habeo, falſis fundamentis hiſtoriam ſuam ſuperſtruere, qui â Meroveo, Rege Francorum & Thuringorum, eam urbem conditam ſibi perſvadent, quod ſupra multis argumentis dedi probatum. Nam qui potuit A. C. 454 Meroveus Rex Francorum in Thuringia urbem condere, quam neque ipſe, neque milites ejus viderant: Quæque tùm eo nomine nondum appellabatur. Albini ſpecimen Hiſtoriæ Thuringiacæ & alii futiles ſcripto-

res non tanti mihi ſunt ut ab illis diſſentire religioni ducam. Mea igitur ſententia eſt Arnſtadium dici quaſi Arminii oppidum i. e. Armins-Stadt/ quod ſæpe laudatus, Dux ibi ſedem habuit. Nam ubi alias iſte, quam inter Cheruſcos, cives ſuos, degeret. Nec obſtat, quod in Weſtphalia, in Romanorum exercitu fuerit verſatus, quodque ſemper cum Varo epulatus dicatur, inde enim colligi non poteſt: Ergo ibi domicilium habuit. Olim Romanorum caſtra ut miles erat ſecutus, jam verò in iis moratur, ut omnes exploraret occaſiones, quæ ſuæ intentioni forent accommodatæ. Hinc autor erat Varō, ut ad ſuam gentem propiùs accederet, quæ parata eſſet, imperata facere. Nihil autem certi poſſum affirmare, an Arnſtadii ante victoriam commoratus ſit, an demum poſt hoſtes profligatos ſedem ibi locorum elegerit. Sic mihi quidem perſvadeo Arnſtadium ab Arminio dictum, hocque tam inſigne, tamque præclarum antiquitatis monumentum eo fato, quo cetera obſcurata fuiſſe docui, neglectum, memoria hominum excidiſſe. Quod verò ad Waſſerbachii attinet ſententiam, eam probare non poſſum. Nam ut alia prætermittam Albinus in Chronica Miſniæ dicit. Hermiones, populus Germaniæ, ad Albim, ſilvam Herciniæ & in Miſnia incoluiſſe, & terminos eorum longius excurriſſe, idque autoritate Taciti comprobat. Qvis autem non videt Harmiensburg rectius ab Hermionibus, quam Arminio dici. Sed hæc hactenus.

CAP. V.

De Irminſula ſive ſtatua Arminii.

Primò variæ ſententiæ Autorum recenſentur, & Spalatini probatur: Deinde Cranzii figmentum, refutatur, figuram ejus deſcribentis: tandem indicatur Cranzii figuram fuiſſe imaginem Ducis Saxonici, non Cheruſci.

QUi de origene & loco, ubi poſita fuerit Irminſula agunt, non aliter fluctuant, quam navis; quæ vento & procellis agitatur, &, cœlo nubibus obducto, neque cynoſuram, cujus ductum ſequi, neque vadum invenit, cui anchoram infigere poſſit. Hoc cum intelligam, nolo fluctibus illis me credere, ſed potius vela legam, portum petiturus: Non tamen poſſum, quin ſaltem paucis antea

antea indicem, quæ mea ſuper hac re ſententia ſit. Irminſula varie à veteribus ſcribitur: & recentiores ex diverſis ſcriptionibus, diverſas eruunt origines, qui, ante Taciti Annales inventos, hanc vocem expoſuerunt, eam Mercurii ſtatuam ſunt interpretati, quod apud Græcos ἑρμῆς Mercurium ſignificat, idque eo magis ſibi perſvadebant, quo propius Germana vox ad Græcam accedebant. Nam ſcribitur Hermenſul, Irminſul, Hormenſul. Hic error quia jam copioſè à Meibomio in Diſſertatione de Irminſula, & poſt hunc à Waſſerbachio impugnatus, nolo diutius illi refutando immorari. Omninò autem mihi ſententia Spalatini probatur, qui ſtatuam hanc ab Arminio noſtro dictam, exiſtimat. Hic cum in hiſtoria de Arminio veterum opiniones recenſuiſſet, tandem dicit magis ſibi probabile videri, eam ab Arminio nomen accepiſſe. *Irmenſuel,* inquit, *aliqui & inter hos præcipuè Tetmarus Epiſcopus Mersburgenſis, qui tempore Heinrici I. Imperatoris, mariti divæ Kunigundis, vixit, & Albertus Cranzius, eum ſequens, ſcribunt: fuiſſe idolum, & quidem Tetmarus putat, id idolum ſtetiſſe Mersburgi, eo in loco, quo poſtea templum Divo Petro conſtructum eſt. Ceterum Cranzius in ſua Saxonia putat dictum Irmenſul quaſi Mercurii ſtatuam, qui Hermes dicitur, vel quaſi Jedermannſuel i. e. commune profugium & Aſylum omnium. Eamque ſtatutus in oppido Saxoniæ Mersburgo, in monte Eresburgo ſtetiſſe: & à Carolo M. in bello contra Saxones ſubverſam fuiſſe; Ceterum ut alii; ſic & ipſe certò ſtatuere nequit, an id de Mersburgo Weſtphaliæ, an de alio ad Salam ſito, accipiendum ſit, quod aliorum judicio relinquo. Mihi poſtquam hiſtoriam Arminii tractare cœpi Irmenſuel dictum eſſe videtur, quaſi Arminii ſtatua, quæ in ejus honorem more Romanorum ſit erecta, ac initio quidem dicta ſtatua Arminii. Poſtea vox corrupta, atque in Irmenſuel eſt mutata.* Sicuti autem in eo cum Spalatino & aliis conſentio, quod ſtatua ab Arminio dicta fuerit; in eo tamen, de quo dubitat ipſe, adeò me incertum reddit, ut, quid ſentiam, fere non inveniam. Meibomius quidem & Waſſerbachius id potiſſimùm agunt, ut Weſtphalicæ urbi hanc ſtatuam vindicent. Et credunt Miſnenſium Mersburgum, quod Sala alluit, ne in arenam quidem cum Weſtphalis deſcendere poſſe, quoniam in illis locis pugna, quâ Arminius ſtatuam meritus eſt, non ſit commiſſa. Interim inter ſe diſcordant velut Cadmei fratres Weſtphali: & dum in antiquitatis tenebris, quæ Cimmeriis ſunt denſiores, errant, & manibus quaſi palpant, quodcunque primum occurrit Mersburgi ſui aut ſpeciem, aut ſpectrum putant. Hinc Waſſerbachius

chius in diſſertatione de Hiermenſul, tria indicat loca, quæ pro Mersburgo venditantur. Primus Stadberga ad fluvium Dimolam: Alter Hertzberga inter Ruram & Monam fluvios: Tertius Hermiensburg, qui non longè â fontibus Luppiæ & Viſurgis abeſt. Pro illo Meibomius; pro iſto Leznerus, & pro hoc pugnat Waſſerbachius: Qui tamen diſcordes autores ita conciliare nititur: non unum fuiſſe Mersburgum ſive Eresburgum, ſed pluribus ſimul locis Arminii memoriam fuiſſe celebratam. Hanc controverſiam neque volo, neq; poſſum dirimere. Nihil enim in hiſtoria invenio, quo certitudo hujus rei nitatur. Ceterum non video quomodo Waſſerbachii de Hermienburg, quod ſit Mersburgum, conſiſtere posſit. Nam ipſe dicit non procul Weſera illud abeſſe, quomodo inde ad illum fluvium Carolus pergere potuit, ad obſides accipiendos, â quo non aberat. Exercitus non ea eſt ratio, quæ unius viatoris. Ita autem Chronographus Saxo, Annales Francicos ſecutus: Rex, inquit, idolo deſtructo, Weſeram fluvium accesſit, ibique acceptis à Saxonibus XII. obſidibus, recesſit. Noſtra parum refert, ubi & in quo Mersburgo Irminſula fuerit poſita; ſufficit, quod eam Germani divino coluerint honore, Arminii ſui memoriam æternaturi. An autem talis fuerit, ut Cranzius depinxit, merito cum Carolo du Freſne dubito, eamque Saxonici Ducis imaginem eſſe mihi perſvadeo, qui fortitudine & juſtitia inter ceteros eminuit, non verò Arminii columnam. Hæc enim non imago, ſed truncus fuit, uti Adamus Bremenſis: *Irminſula fuit truncus ligni non parvæ magnitudinis erectus in altum.* Hoc Mutius, Beatus Rhenanus & Baronius confirmant. Hic enim in Annalibus ſuis ita diſſerit: *Germani frondoſis arboribus fontibusque venerationem exhibebant. Truncum quoque non parvæ magnitudinis, in altum erectum, ſub Dio colebant, patria cum lingua Irminſul appellantes, quod latinè dicitur univerſalis columna, quaſi ſuſtinens omnia.* Jam verò hæc deſcriptio plane abludit à Cranzii ſententia, qui eam ita depingit: *Erat armati toto corpore effigies, cujus in dextra ſignum militare, præferens roſam rubeam, cujus breve momentum & facilis ortus, & interitus, ita eventus præliorum. In ſiniſtra libram expandit dubiam ſortem pugnantium, facile huc & illuc inclinantem: Pectus inerme urſum præferebat, interritum bellatorum animum inſinuans: In Clypeo Leonem, qui beſtiis imperitat invictum & ad fortia facta impetum monſtrat &c.* Waſſerbachius putat differentes ſententias autorum conciliari poſſe, ita: anti-

antiquis quidem temporibus ſtatuam illam trunco fuiſſe ſimiliorem, quam imagini, poſtea vero cum ſtatuaria apud Saxones magis magisque fuiſſet exculta, eam elegantius fuiſſe formatam. Verùm hanc opinionem, quam absque ratione conceptam edidit, probare non poſſum, multis & non levibus argumentis permotus. Nam ut taceam, non modo non in uſu fuiſſe, veteres Deorum ſtatuas reformare, ſed gentes ab ejusmodi facinore, ut grandi ſacrilegio, abhorruiſſe, velim, ut accuratius effigiem, quam Cranzius deſcripſit, mecum conſideres: varie quidem autores & hieroglyphicè eam expoſuiſſe video, verum iſtas ineptias miſſas faciam, & in veritatem rei, majori ſtudio inquiram. Quod ad roſam attinet, quam rubeam fuiſſe tradunt, nequaquam ſignũ Arminii fuit, quo inconſtantiam fortunæ indicatam voluit, ſed certæ familiæ nationis Saxonicæ, quæ in Weſtphaliam habitatum conceſſit. Sic & urſus alîus familiæ, quæ ad Albim lares conſtituit, inſigne fuiſſe, apparet ex poſteris, qui ibi locorum incolunt. Nam quem fugit Anhaltinos ex Saxonibus originem trahentes, urſum in clypeis gerere, & inſuper varios locos eſſe, qui eodem inſigni gaudent. Benè igitur Waſſerbachius monet, multis in locis Weſtphaliæ Roſæ ſignum in clypeis videri: Hoc enim valde mea ſtabilitur ſententia: accedit, quod in Angliam Saxones Roſam tranſtulerint. Nam notiſſima, immò nobiliſſima eſt hiſtoria de duabus factionibus, quæ diu Angliæ regnum vexarunt, quarum altera pro inſigni rubea, altera alba Roſa utebatur. Has tandem Sec. 15. conjunxit Henricus VII. in cujus rei memoriam ipſe ſcutum roſario, roſis rubris & albis compoſitum, includebat, immo ſub Jacobo I. Britanniæ magnæ Rege, hac inſcriptione moneta fuit cuſa. HENRICUS ROSAS, REGNA JACOBUS CONJUNXIT. Ergo roſa rectius pro inſigni Saxonum, quam tantum pro inconſtantis fortunæ Symbolo habetur: ſi verò quæras unde Saxones, & cur roſam in ſcuto poſuerint, Spenerus in Heraldica: *Hoc emblema inquit à militia non alienum habetur. Sangvinem etiam deſignari ajunt, inde Mars Roſa natus fingitur. Inde fit ut Martyribus roſa tribuatur,* Æg. Gelen. de Col. Agr. Magn. *Roſam & flores cum in Numiſmatibus, tum in gemmis ſignatoriis vetuſtiſſimis frequenter deprehendimus; Sed maxime geſtatur roſeus flos in armis familiarum: quæ Romanam, illuſtrem ac diviniorem jactant originem. Nam Mar-*

tem ex Junone & Roſa genitum perhibent. Videturque ſignum Martiis heroibus congruere, cum arcana oporteat eſſe conſilia: Et communi adagio ſub roſa dicantur, quæ propalanda non ſunt. Sed ne longius â ſcopo aberrem, roſæ hiſtoriam explicando, eo revertar, unde digreſſa eſt oratio mea: Nempe de Irmenſula ita ſtatuo, eam fuiſſe ſilveſtrem truncum haud procul Mersburgo, ubicunque illud ſitum eſt, illamque ſtatuam, quam Cranzius depinxit, non fuiſſe Irminſulam, ſed Saxonicæ gentis fortitudine & juſtitiæ præſtantis viri imaginem. Me quidem non fugit Saxonici Regni inſigne Leonem in dextro & baſiliſcum in ſiniſtro latere, cum aquila, quæ ſupra ambos expanſis alis ponitur, fuiſſe, ut Albinus in Chronico Miſniæ oſtendit: At hoc non obſtat, quo minus ſuum quæque familia ſignum habuerit: plura hic addere poſſem, niſi ob temporis anguſtiam diſſertationi finem imponere feſtinarem.

CAP. VI.

Ἀποθέωσις *Arminii.*

Argumentum.

Juppiter reparans cœlum audit ſtrepitum: peſtem proſtratum feſtinat, ne invaleſcat. Sermone Celtarum terretur, timentium ne cœlum ruat: Cum ſuperis de ultione conſultat: Mars negotium in ſe ſuſcipit, acceptis aquilis tribus: Armat gentem ſuam Romanos in Teutones: & ipſe inter ſigna verſatur: Germani metum ſimulant, obſequiumque pollicentur. Hoc viſo, Mars ex caſtris egreditur, Jovi, quid egerit, relaturus. At ejus locum occupat avaritia, ſpeciem Themidos induta: Hujus deformitate irritati Germani, in ejus & univerſi exercitus necem conjurant: milites diſperſos invadunt, cædunt, delent. Hoc cum ad aures Jovis pervenit, barbam vellicat: mulieres plorant: Senatus fugam circumſpicit. Tandem Mercurius hoc in medium profert conſilii: in numerum Deorum eſſe recipiendum, ut à bellis abſtineat, quod approbatum, & effectui datum eſt.

JUppiter (*a*) enormes oculis dum luſtrat Olympi
Rimas, quas triſtis ſævorum turba Gigantum (*b*)
Fecerat: Et ſecum curas ſub pectore volvit:
Quî regnum ſtabili ſummum munimine firmet,
Ne genus infauſto mortale laceſſere bello
Id poſſet, timidas iterum defertur ad aures
Horridus armorum ſtrepitus, raucusque tubarum
Clangor, qui ſuperos (*c*) adeo commovit, ut omnes
Ejus ad auxilium fugerent. Hic pronus ad arma
Currit, & indignans trifido mox fulmine peſtem
Sternere feſtinat: Verum cum cerneret iſtum
Eſſe metum vanum: gentes modò bella movere
Inter ſe: cuncti redeant ad Nectaris uſum,
Admonet, & ſummo delapſus ab æthere, Regis
Venit in Emathii fortisſima caſtra, nec ulli
Noſcitur. Aſt alius quatiebat pectora terror.

Sederat Auguſto ſolio, ſubnixus & auro,
Rex Macedo,(*d*) legesque viris, & jura remotis
Æqva dabat populis, quos inter Teuto, ſtaturâ
Corporis immenſus, ſtabat, velatus & armos
Tergore taurino; (*e*) ſociis gaudebat, eâdem
Forma conſpicuis: Polyphemos eſſe putares.
Ille tamen reliquis longe truculentior, altum
Terque quaterque caput, juſſus depromere, gentem
Quidnam Germanam poſſet terrere, movebat:
Murmure tum rauco voces has ore tonabat:
Ne ruat excelſus labefactus fratribus axis. (*h*)
Juppiter, hoc dicto, ſublimis ad aſtra reverſus,
Mercurium cunctos, habitantes æthera, divos
Invitare jubet, ſeſe res, pondere magnas,
Velle docere ipſos. Poſtquam cernebat adeſſe
Omnes obticuit paullum. Tum proh dolor, infit:
Credideram nuper cunctos periiſſe Gigantes
Fulmine: ſed vidi, vidi mortalia quanta
Corpora! quin ſenſi permagna inſtare pericla.
Eſt genus in terris hominum, quod nil niſi bella,
Arma, minas, clades loquitur ſuperosque malignè
Spernit, & irridet, percepi atrocia verba
Auribus hiſce meis: Sanè niſi frangitur ante,
Quam vires capiat majores, plusve furoris
Ira virûm, timeo, facto ne fœdere tandem,
In nos conjurent, majorum exempla ſecuti.
Eſt mihi triſtis adhuc facies in mente, nec ullum
Tempus tollet eam, ſævus qua tecta Typhoeus (*f*)
Noſtra, globo fratrum cinctus, perrumpere bello
Suſtinuit. Quantus cunctos tunc terror habebat
Nos, qui cæleſtes ſedes habitamus & arces.
Dixerat: at Mavors tantum conceperat iræ, (g)
Hæc dum difficili profert Saturnius ore,
Quantum non aliàs: Decerni poſtulat illud,
Multa fremens, bellum ſibi. Num temerarius, inquit,
Hoſtis nos ludat? non deſunt arma viriquc.

Fide-

Fidere queis poſſim, quorum celeberrima virtus
Omnibus in terris, ſtimulat me propria cauſſa (*i*)
Præter communem. Populus qui Martius audit,
Et latè regnat nuper mala plurima paſſus
Hoſtibus a ſævis, ulciſci ſcilicet illos
Cogitat, & noſtrum votis precibusque rogavit
Auxilium: Comes huic adero, mediusque cohortes
Inter pugnabo; verum Pater optime! fauſtum
Auſpicium concede mihi: Demitte volucrem,
Quæ tibi ſacra ſolet, tonitruque miniſtra vocari.
Hæc ait: At lætus celſi moderatur Olympi
Tres aquilas mittit, juſſas comitentur, euntes (*l*)
In bellum juvenes, magni trans flumina Rheni,
Teutoniæ contra gentem. Mars inde tubarum
Horriſono ſtrepitu, per rura, per æquora cunctos
Concitat Heſperiæ populos, in fœdera belli,
Atque animos illis addit, ſperare ſecunda
Dum jubet, arma ferox Marſus Tuſcusque ſeverus
Martia corripiunt ſubito, Romanaque pubes
His venit auxilio, telis armata coruſcis.
Gallia, quam graviter vicinus preſſerat hoſtis,
Omnia ſuppeditat, tanto quæ ritè gerendo
Apta videbantur bello: gentesque remotas
Excierat clangor: Lybicis veniſſe feruntur
Littoribus juvenes, ſocii teſtesve futuri
Cladis, qua caderent Germani. Mœſtus at usquam
Horum nullus erat, timidusve pericula propter
Magna; ſed intrepidi, rerum cupidique videndi
Eventum, ſocios diſcrimina tanta docebant:
Additur ars belli ſtudiis: Simulare timorem
Occipiunt cauti, pacis quoque fœdera poſcunt:
Collaque ſponte jugo ſeſe ſubmittere pronos,
Si modo ſalva forent, ajunt, armenta, virique
Incolumes. Cuncti gaudent, ſine ſangvine victos
Hoſtes tam diros, agitat convivia lætus
Varus, qui ſummæ præerat: Milesque vagatur

Hûc

Hûc illûc, cupidus prædæ: Mars caſtra relinquit,(*m*)
Quod nihil impendere videt diſcriminis ultra.
Illius atque loco ſuccedit, veſte Themiſtos (*n*)
Juſtæ purpureâ mulier ſuccincta: voracem
Plurimi avaritiam dicebant. Lingva venenum
Spumabat: toto macies in corpore turpis.
Ungues quot manibus, curvos tot habebat & hamos:
Dextrâ corradebat opes, lævâque libellos
Anxia ſtringebat: Luctus veſtigia euntis
Usque ſequebatur: Paupertas nec procul inde
Veſtibus obſcuris aberat. Germania monſtro
Territa conſpecto, Furiam veniſſe putabat,
Ad ſe vexandam. Nam viderat antea nunquam,
Tam triſtem faciem: Plebes horreſcere primum
Ejus ad obtutum; proceres mox quærere mœſti,
Quî ſine jactura pellant damnoque ſalutis
Tam ſibi feralem peſtem. Stimulante furore,
Quidam bella petunt: Nonnulli prælia: Plures
Fraude putant tacita, nec multo ſangvine poſſe
Hoc fatale malum depelli finibus: Immo
Penitus extingui. Mox ſtat ſententia firma,
Undique concurrunt, ſudes truncosque ferentes:
Mox ex inſidiis prorumpunt, vulnere lædunt,
Sternunt atque fugant. Qualis Diana chorusque
Nympharum, quando alba dies hebetavit Olympo
Sidera, per ſilvas cervos ſectatur, & arcu
Quos modo cunque ferit (nil illam fallere dicunt)
Confodit & ſternit: Talis Germania tandem
Sæviit implacabiliter. (Miſerabile dictu eſt.)
Non aquilis parſit, quæ Numinis inſtar habentur
Cunctis à Populis: Binæ periiſſe feruntur: (*o*)
Tertia ſublimis contendit ad aſtra volatu,
Atque Jovi cladis tam fœdæ nuncia venit.
Cœli quæ facies, ſuperûm quàm triſtis imago (*p*)
Tum fuerit, quantusque illos invaſerit horror
Muſa referre vetat. Luctus hæc ſigna fuere:

Nigrâ

Nigrâ flammantes Phœbus caligine currus
Condebat, Phœbeque ſoror prodibat Eoo
Æquore pallidior buxo: Junoque Venusque (*q*)
Tutas quærebant latebras: Velocibus alis
Mercurius fugiebat inops: Ex æthere multus
Imber in afflictas terras ſilvasque ruebat.
Nonnullique Jovem graviter lacrymare ferebant:
Bacchus at expletus vino, ſomnoque ſepultus (*r*)
Hujus erat luctus expers, tantique doloris.
Crediderant etenim, parvo poſt tempore fœdos
Hoſtes venturos, majorumque exempla ſecutos.
Poſt cum vim belli crudelem nemo beatis
Sedibus inferret, cuncta & tranquilla manerent,
Pectora confirmant: Accerſitoque Senatu
Quæ facienda forent, conſultat Juppiter omnes:
Cumque diu dubii, mentem vel in hanc, vel in illam
Inclinare viderentur, ſic dicere tandem
Cœpit Mercurius, quo non facundior alter (*s*)
Conſilium reperi, quod certe eſt utile: Verum
Utrum majeſtate Deûm, vel Numine dignum, (*t*)
Judicet ipſe Pater, qui cœli ſceptra gubernat.
Omnibus ex populis, præſtantes robore, mente (*u*)
Et virtute viri cœli mactantur honore,
Græca dedit tellus Alciden, Roma Quirinum
Nobis, & nuper noſtro ſucceſſit Olympo,
Julius ille gravi poſtquam certamine cives
Vicerat: Ex Lybia Memnon Tithonia proles
Nectaris ad cyathos venit; Non attinet omnes
Ordine percenſere homines, queis copia facta eſt,
Degere cum Superis. Magno affectavit honorem
Hunc ſtudio fortis Germania ſæpe, nec illud
Obtinuit votum. Num mirum, ſi petat armis
Quod juſtis factis, bellis precibusque negatur,
Ne rapiant igitur noſtrâ tradamus eiſdem
Sponte decus, nullus dubito, quin nemo beatas
Illorum ſedes poſt hac vexaverit unquam,

Si ſuperos inter Germanæ Gentis habebunt
Numina, quæ credent, natisque ſibique ſtudere.
Hæc ait: Et cunctis magno ſententia plauſu (*x*)
Excipitur prolata Diis; Cyllenius inde
Per cœlum pelagusque & Tartara ferre jubetur
Nuncia, quod ſuperi feciſſent utile multis
Decretum, atque Ducem Germanum, nomine dictum
Arminium, divos inter, qui ſumma tenerent
Tecta, recepiſſent: Cantu plauſuque canoro
Cœleſtes ſonuere Chori: Sed Fama, novarum
Rerum quæ ſtudioſa nimis, properavit in orbe
Toto divulgare recentia facta: Cheruſcos
Participes primum tam claræ, tamque celebris
Lætitiæ fecit: Terras Erymanthidos urſæ
Hinc feſtina petit: Celebrataque regna Canopi.
Non requies illi naſcentis pergit ad ortus
Solis, & Heſperiam replet clamore tremendo.
Quo facto Arminii diſrumpunt ſtamina Parcæ.
Juppiter & celſo demittit ab æthere Magnus
Armigerum, rapto Trojâ Ganymede ſuperbum,
Portet ut in cœlum, ſtellas & collocet inter,
Igne coruſcantes, procul haud à lumine Tauri. (*y*)
Mox capit Ambroſias epulas & Nectare multo
Proluit ora; Memor ſed gentis in orbe relictæ
Semper in auxilium vigilat ſemperque ſalutem
Teutoniæ curat: pronis hinc aſpicit illam
Luminibus: verum hæc tandem pacata quieſcit.

Clavis ad Carmen hoc intelligendum pertinens.

(*a*) Auguſtus Cæſar (*b*) Sicambri, qui Duce Melone Lollium fuderant & fugarant: Cum igitur Aguſtus eſſet ſolicitus quomodo Imperium contra hoſtes firmaret, novus tumultus oritur (*c*) Romanos & imprimis Patres conſcripti (*d*) vetus hiſtoria cum recentiore facto coniungitur, more poetis non infrequenti. (*e*) Cluverius in Germania Antiqua docet, Germanos olim conſveviſſe, pellibus, de bobus detractis, & aliis beſtiis, pro veſtibus uti; & quo truculentiores viderentur, cornua capitibus impoſuiſſe. (*f*) Melo dux Sicambrorum.

brorum. (g) Duces belli, manu ſtrenui, & in iis Qintilius Varus. (h Germani victoria Melonis elati, jactabant brevi plane Romanorum Imperium ruiturum: Hoc adeo momordit Auguſtum, ut ultionem moliretur acerbiſſimam. (i) Nempe pudebat Romanos fortes, ignobili hoſti ceſſiſſe. (l) Aquilæ erant vexilla & ſigna Legionum, legiones itaque Mars cupit ſibi dari. (m) Mars i. e. vigor Martius deferbuit in Varo & militibus, (n) credit enim ſpecie juſtitiæ in obſequio Germanos contineri poſſe, qvum tamen multa avarè ipſe & libidinosè faceret. Poeticè autem hic avaritia ut perſona deſcribitur. (o) Duæ aquilæ à Germanis raptæ ſunt, tertia ſervata. (p) quæ facies Romæ & in ſenatu fuerit. (q) Matronæ & virgines Romanæ (r) ebrii, temulenti, & qui tantum ventri dediti ſunt, per Bacchum intelliguntur (s) vir prudens & facundia inſignis (t) i. e. Majorum. Conſilium autem, quod datum ſit, Tacitus exponit: quando libr. 2. Ann. c. 88. Adgandeſtrii, inquit Principis Cattorum lectæ in ſenatu ſunt litteræ, quibus mortem Arminii promittebat, ſi patrandæ neci, venenum mitteretur: Sed reſponſum eſt; non fraude ſed palam & armatum populum hoſtes ſuos ulciſci. (u) Hoc ſenatus judicium refutat binis exemplis Mercurius, nempè Herculis & Romuli, dicit eos fraude fuiſſe occiſos & inter Divos relatos. (x) Credo id dictum, quo poſtea Caracalla uſus eſt in fratrem, eos acclamaſſe: *Sit Divus modo ne ſit vivus.* Ita etiam in Claudium Nero dicitur jocatus, cum boleto venenum hauſiſſet, *Divus factus eſt* (y) ſupra oculum Tauri ſideris cœleſtis eſt Perſeus, ut ex figura videre eſt, meritò igitur & rectius putatur, eum eſſe Arminium, quod Draco victus, & libertas juxta eum conſpiciuntur.

CAP. VII.

Vari Ἀποκεφαλαίωσις.

Primò genus & mores ex Vellejo recenſentur: Deinde cædes & mors ejus: tùm Auguſtus carmine ſuum & Vari fatum deplorat: tandem Muſa Vari ſepulcro addit epitaphium.

VArus Quintilius illuſtri familiâ Romæ ortus, non meliori fortuna, quam avus & pater uſus eſt. Illum enim, Julii Cæſaris partibus ſtudentem, adverſa pugna ſuſtulit; hic autem in Philippenſi bello liberti manu, cum ſe inſignibus honorum velaviſſet, eſt interfectus. Multum inter eſt, quibus auſpiciis in prælium prodeas, non genus, non virtus, non opes quicquam valent, niſi fortunam fautricem nactus ſis. Quid Roma habebat illuſtrius Varorum familia, & quotiescunque ad bellum ex illâ quispiam ſe accingebat, non fuga, non vulneribus, ſed morte audaciam luebat. Ne verò hanc ſententiam tanquam nimis duram æſtimes, Velleji elegantis Hiſtorici verba in medium proferam. *Varus Quintilius illuſtri magis, quam nobili ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus, corpore & animo immobilior, otio magis caſtrorum, quam bellicæ aſſuetus militiæ; pecuniæ verò quàm non contemtor, Syria cui*

præfuerat declaravit, quam pauper divitem ingreſſus, pauperem reliquit: Sed quomodo fortuna ejusmodi hominibus favere poteſt, qui id ſaltem agunt, ut Heliogabalus ait, ne quis quid habeat. Qui hiſtorias evolvet veterum, inveniet, avaritiam eorum aut turpi infamia, aut ſubita morte fuiſſe coercitam. Illud ipſis uſu venit, quod voracibus beſtiis. Nam ſi alvum præda explerunt, neque ad pugnam, neque fugam ſatis idoneæ, venatore ſuperveniente, opprimuntur. Quanto majori laude ſunt digni Fabricii, Curii, Camilli, quibus, præter victum quotidianum, nil erat ſuper. Hac paupertate opulentiſſimos Reges vincebant, fugabant, trucidabant. O utinam omnes, quibus republica eſt mandata, curatâ hoc penſitarent æſtimatione. Sed ſi fata regna concutere volunt, ejusmodi hominibus gubernanda tradunt. Varo ineſcato opibus Syriæ, paupertas Germaniæ minus erat grata, non tamen ſuarum rerum adeo negligens erat, quin omnibus occaſionibus immineret, ſuas explendi cupiditates. Alias gentes vi deprædabatur: alias ſpecie juris dicendi emungebat. Et cum uni huic rei eſſet intentus, indies ſegnius res militares adminiſtrabat, ut ipſis hoſtibus, fraudi & inſidiis opportunus, videretur. Jam Germani conſilia habere, frequentes coire, arma parare, & ipſe hæc non obſervare, aut obſervata negligere. Non tamen adhuc adeo fortuna ſæpe alias maligna, ei adverſa erat, ut inſtantis periculi monitum nollet. Aderat Segeſtes ſemper Arminii cœptis & fortunæ inimicus, oſtendebat, docebat, probabat, quantum facinus Germani molirentur. At verò miſer vel ſocordia cæcus, vel ita fatis volentibus, non aliter ſe gerebat, quam homo, qui gravi ſomno oppreſſus, intempeſtive excitatur. Hinc oſcitando animum conjuratis addebat, ut de ſucceſſu bene ſperantes, primo quoque tempore facinus exequi ſtatuerent. Rem totam ut geſta eſt Velleji verbis exponam. *Negat Varus ſe credere, ſpemque in ſe benevolentiæ ex merito æſtimare profitetur. Nec diutius poſt primum indicem ſecundo relictus locus. Ordinem atrociſſimæ calamitatis, qua nulla, poſt Craſſi in Parthis damnum, in externis gentibus gravior Romanis fuit, juſtis voluminibus ut alii ita nos exponere conabimur. Nunc ſumma deflenda eſt. Exercitus omnium fortiſſimus, diſciplina, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites Princeps, marcore Ducis, perfidia hoſtis, iniquitate fortunæ circumventus; cum ne pugnandi quidem egregie occaſio, in quantum voluerat, data eſſet, miſeris, caſtigatis etiam quibusdam gravi pœna, quia Romanis & armis & animis uſi fuiſſent, incluſus ſilvis*

vis, paludibus, inſidiis ab eo hoſte ad internecionem trucidatus eſt, quem ita ſemper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem ejus nunc ira, nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum, quam pugnandum animi fuit. Quippe paterni avitique exempli ſucceſſor ſeipſe transfixit. Defuncti corpus ſemiuſtum hoſtilis laceravit feritas; caput ejus abſciſſum latumque ad Maraboduum, & ab eo miſſum ad Cæſarem, gentilitii tamen tumuli ſepultura honoratum eſt.

Hujus caſum Melpomene tali Nænia deploravit.

IMperium ſtabat, poteras Auguſte videri,
Hoſtibus oppreſſis, felix; Tibi tantus aviti
Splendor erat generis, regni tibi tanta poteſtas,
Perculeras Lybiam: molles ſua Thura Sabæi
Mittebant: collumque jugo Terteſſia tellus
Subdiderat. Verùm fortunæ mobilis usque
Aſſolet eſſe favor, nullus dicique beatus
Ante diem fati debet, qui vivit in orbe.
Solus erat Varus magnæ Quintilius autor
Cladis, cum ſubitò Germanos vincere bello
Vellet, & in mediam fortuna neſcio fretus
Cæſaris, an temere Furiis agitatus iniquis,
Teutoniam peteret. Non ſic audacia quondam
Elati nimium Phaethontis concutit axem,
Imperiumque Jovis fulgens, ut nuncius ille
Romam, qui tulerat legiones cum Duce cæſas.
Illa tremebat inops: magnates clade ſtupebant:
Imbellis ſexus precibus votisque rogabat
Auxilium Superos. Aſt impatientius unus
De cunctis caſus Auguſtus flebat acerbos:
Namque genas lanians, hæc triſtis corde gemebat:
Si penſare animas ſinerent crudelia fata;
Aut redimi poſſent alieno ſangvine clades:
Quantulacunque meæ debentur tempora vitæ
Penſarem pro Te modo ſi mihi ſalva maneret
Gloria Vare! bono quondam quam Marte paravi.

At nunc quod poſſum, fugiam lucemque Deosque:
Et Te maturus ſtygias comitabor in undas.
Quam malè conſuluit mortalibus illa creatrix
Hem natura viris, quod non conceſſit, utramque
Illis ferre pari fortunam mente: vel omnem
Condidit æterna triſtem caligine caſum.

Hæc Melpomene, ſecum volvens mortalium caſus, canebat: Sed Mars imprudentiâ & avaritiâ Vari commotus, Muſas admonuit, ut tanti luctus cauſam ſepulcro ejus inſcriberent, exemplo cavere volens, ne quis ſimili modo, & ſibi interitum, & patriæ ruinam contrahat.

Epitaphium.

Hic jacet Auſoniæ multorum cauſa malorum
Varus, militiæ Prætor, avarus opum.
Ingreſſus Syriam gemmis auroque ſuperbam,
Sic ſpoliavit eam, fleret ut exitium.
Teutoniam ſimili cum vellet perdere ſtrage
Ultores ſcelerum ſenſit adeſſe Deos
Hujus in exemplum quicunque tuetur iniquum
Diſcat avaritiam peſte pavere magis.

F I N I S.

SPECIAL 85-B
18596

GETTY CENTER LIBRARY